B. N C
FIRENZE
1123
2

Digitized by Google

1123. 2

Digitized by Google

1123
ALIXTI 2
1651.
B 3.

A

1123-2

XL

Calixti

1654

HISTORIA IOSEPHI,

SIVE

XIV POSTREMORUM CAPP. GENESEOS ET LOCORUM IN IIS DIFFICILIORUM

EXPOSITIO LITERALIS,

QUAM

EX ORE

GEORGII CALIXTI

S. THEOL. DOCTORIS ET PROFESSORIS,

ejusque ad Pentateuchum prælectionibus,

IN ACADEMIA IULIA

ante annos triginta excepit, & olim edidit

STEPHANUS TUCKERMAN

Eccleſiaſtes & Paſtor in Wildenman.

Anno CIↃ IↃ CXLI ab auctore recognita fuit, & alicubi aucta.

Nunc autem tertiò editur.

HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCUDIT HENNINGUS MULLERUS.

CIↃ IↃ CLIV.

Benevolo Lectori
S. D.
GEROGIVS CALIXTVS.

MOſes ſcriptorum omnium, quotquot ſive ſacri ſive exotici exſtant, antiquiſſimus ea docet & ſcribit, quæ fruſtra apud alios, mortalium ſapientiſſimos vulgo habitos, quæras: ortum videlicet rerum, & hiſtoriam recentis mundi hominumq́ qui in eo vixerunt, & cultum Dei, qualem ipſe ſibi exhiberi voluit & probavit. Dubitari enim nequit, eſſe ab initio rerum & deinceps aliquam certam ſeriem & ſucceſſionem tum elapſorum temporum, tum prognatorum hominum: quam tamen univerſa gentilis hiſtoria, cujuscumq; tandem ſit auctoris, vel penitus ignorat, vel non niſi confuſam & prorſus incertam, imò falſi manifeſtam prodit. Quòd ſi autem quodq; quò eſt origini ſuæ propius, eò eſt puriùs, cultum quoq; numinis apud primos homines purum fuiſſe liquet. Sicut itaq; quod ſeriem temporum & hominum, quam diximus, concernit, ſolus Moſes clara & certa tradit: ita quoq; paria, quod pietatem & religionem ejus ævi attinet, ab eo ſolo exſpectes. Hinc porrò conſtat, religionem, quæ in Moſe fundamentum habeat, & cum ejus ſcriptis concordet, ſolam veram & ſinceram eſſe. Concordat autem non idololatrica, ſed è diametro pugnat: nec concordat Iudaica, quæ Siloh, poſt ſceptrum à Iuda

ante annos plures quàm CIↃ IↃ *ablatum, adhuc exſpe-ctat; nec Muhammedana, quæ poſt exhibitum Siloh, alium veniſſe & à Moſe prædictum fuiſſe mentitur: ſed ſola Chriſtiana. At de his alibi. Quæ equidem ante decennium, quum nondum* toto Mars impius orbe *ſæviret, & ego libros Moſis interpretarer, auditoribus meis uberiùs expoſui. Quia verò ita interpretabar, ut ad calamum nihil dictarem, inventus eſt egregius juvenis* STEPHANVS TVCKERMANNVS, *qui periculum facere vellet, quàm diligenter auſcultaſſet & feliciter excepiſſet. Annotationes igitur ad prima* XX Exodi *capita ſtudiosè deſcriptas, quum recenſuiſſem, edidit, & publico eruditorum examini in hac academiâ ſubjecit. Ex eo eccleſiaſticæ functioni admotus nihil de priſtinâ diligentiâ remiſit; cujus ſpecimen eſſe nunc voluit ultima Geneſeos capita, ſive hiſtoriam Ioſephi: ſic etiam exemplum alijs ſacro miniſterio fungentibus præbens, quòd ſtudia in academiis tractata abjcere non oporteat, ſed adſiduè recolere. Ego iſta ad me tranſmiſſa relegi, & nonnullis alicubi adjectis in publicum prodire paſſus ſum. Si quid hinc ad te, benigne lector, utilitatis redundaverit, habebimus, quare nobis uterq; gratulemur, & operam non luſiſſe videamur. Tu verò Deum ſeriò nobiſcum precaberis,*

Vt genus humanum poſitis ſibi conſulat armis,
Inq; vicem gens omnis amet; pax miſſa per orbem
Ferrea belligeri compeſcat limina Iani.

Vale. Ex acad. Iuliâ. KL. *Sextil.* CIↃ IↃ C XXXIV.

GENE-

GENESEOS

CAPUT XXXVII.

IN hoc & reliquis, quæ uſque ad finem libri ſequuntur, capitibus pertexitur hiſtoria Iacobi, ejusque filiorum, præſertim Ioſephi; & hujus ideo copioſiùs deſcribitur, I Quia eximium præbet exemplum pietatis, caſtitatis, prudentiæ, manſuetudinis. II Quin per Ioſephum & occaſione ab ipſo natâ factum, ut Iacobus deſcenderet in AEgyptum: qui deſcenſus quum viciſſim adſcenſui occaſionem dederit, omnino erat explicandus. Abſque eo enim hiſtoria populi Iſraelitici manca, nec intelligi perfectè poſſet. Ex omnibus autem divina providentia præcipuè elucet. Ioſephi patriarchæ hiſtoriam enarrat Ioſephus hiſtoricus Ἀρχαιολογίας libro ſecundo, ſub initium; allegoricè exponit Philo Iudæus peculiari libro, quem Βίον πολιτικοῦ, *Vitam viri civilis*, inſcripſit; Sanctus itidem Ambroſius etiam peculiari libro.

VERS. 2. *Iſtæ ſunt generationes Iacob.* Sed nullæ hîc deſcribuntur generationes; tantùm memoratur, quomodo Ioſeph ſomniaverit. Itaque תולדות hic accipiendum pro rebus geſtis, ut ſit: Iſtæ ſunt res geſtæ, ſeu, quæ geſta ſunt à Iacobo, vel, quæ evenerunt Iacobo. Ad eundem modum eſt Gen. 6, 9: *Iſtæ ſunt* תולדת *Noachi*: & tamen non ſequitur genealogia. Itaque etiam ibi ponitur pro rebus geſtis, ſeu ijs, quæ evenerunt Noacho.

VERS. eod. *Et erat puer cum filiis Bilhah & Zilpah.* Videtur datâ operâ Iacobus Ioſephum verſari voluiſſe cum filijs ancillarum, quòd illi minùs cum ipſo contenderent: filij autem Leæ magis æmuli eſſent.

VERS. 10. *Num veniendo veniemus ego & mater tua?* At mater Rahel pridem mortua. Matris itaque nomine intelligatur Lea, quæ tum gerebat vicem matris. Aut capiatur, quaſi pater refutet ſomnium, cùm Ioſepho inſoleſcendi, tùm fratribus invidendi occaſionem præcidere cupiens, q. d. Oporteret me per ſolem, per lunam matrem intelligi. At mater mortua. Videtis itaq vanum eſſe ſomnium. Odij fraterni duas potiſſimùm Scriptura hîc memorat cauſſas, unam, quòd Ioſephus à parente, qui jam ſenex eum genuiſſet, præcipuo adſectu diligeretur; alteram, quòd ſomnia, quibus dominatus in cæteros fratres ſignificaretur, in medium protuliſſet.

VERS. 19. *Somniator.* Nonnulli, *dominus ſomniorum*; id eſt, in ſomnijs & per ſomnia ſibi promittens dominium. Sed non quadrat: nam בַּעַל alicujus rei dicitur, qui ejus auctor eſt, aut peritus, aut poſſeſſor, aut quomodocumque eâ potitus aut præditus. Vide Exodi 24, 14; 2 Reg. 1, 8; Prov. 1, 17; Dan. 8, 6. Ita Bahal Aruch, eſt auctor libri Aruch: Bahale Maſoreth, Auctores Maſoræ.

VERS. 22. *Ruben* habebat in animo, cum ex ciſternâ eripere & incolumem reddere patri, fortè ut elueret crimen inceſtus. de quo cap. 35, 22 & 49, 4. At *Iuda* metuens, ne in ciſternâ fame periret, auctor fuit, ut venderetur, verſu 26.

VERS. 28. *Et tranſierunt viri Midianitæ mercatores.* Hi ipſi hoc eodem capite, quin verſu, Iſmaëlitæ vocantur.

Nempe

Nempe in eadem cohorte miſti fuerunt mercatores Iſmaëlitæ & Midianitæ, ſicut ad nundinas Francofurtenſes Angli & Galli & Germani juncti ſive inter ſe mixti proficiſci ſolent. Munſterus duplicem hinc vult exſculpere venditionem: quæ tamen non convenit textui. Onkelos, ubi Iſmaëlitas legimus, Arabes vertit.

VERS. 35. *Deſcendam ad filium meum lugens in ſepulcrum*, vel, ut Vetus vulgata verſio habet, *in infernum.* שְׁאוֹל pluſquam ſexagies in ſacris occurrit, & aliàs infernum, aliàs ſepulcrum, ſtatum defunctorum, mortem, pernitiem & exitium ſignificat. Græcis ubique (excipe Iezech. 32, 21; & ſi quis fortè alius adhuc locus poſſit obſervari;) redditur ᾅδης: ut proinde quod Scheol Hebræis, hoc ᾅδης in dialecto Helleniſticâ. Quapropter non modò Scheol, ſed etiam דּוּמָה, ſilentium, locum ſilentij ſive tumulum, ᾅδην verterunt pſalmo 94, 17, & 115, 17: item יוֹרְדֵי־בוֹר *deſcendentes in ſepulcrum*, οἱ ἐν ᾅδου, Ieſ. 38, 18. Quænam verò ſingulis locis obtinere debeat ſignificatio, phraſis & res, de quâ verba fiunt, & cohærentia textus indicio erunt. Hic itaque Iacob *abnuit admittere conſolationes, & dicit, Quia deſcendam ad filium meum lugens in ſepulcrum,* id eſt, Fruſtra me conſolamini; mœror meus me, quoad vixero, non deſeret, ſed tum demum finietur, quum mortuus mortuo filio jungar. Objiciunt, qui hinc infernum, & partem inferni, cui Limbo Patrum nomen indidere, exſtruunt: perſuaſum fuiſſe patri Iacobo, quòd filius Ioſephus à feris diſcerptus, & propterea in ſepulcrum illatus non eſſet: quum itaque affirmet, ſe deſcenſurum ad filium ſuum ſcheolah, non poſſe intelligi deſcenſum corporis in ſepulcrum, cujus expers corpus Ioſephi, ſed deſcenſum

animæ

animæ in infernum, vel quamdam inferni regionem, in quam animæ piorum, quales Iacobus & Ioſephus, olim convenerint. Sed reſpondeo, *deſcendere ad mortuos ſcheolah ſive in ſepulcrum*, eſſe periphraſin mortis, atque adeo nihil aliud, quàm *in cenſum mortuorum venire*, ſive ſimpliciter, *mori*. Ita Servator ipſe: *Omnes qui in monumentis ſunt*, Ioh. 5, 28; & *omnes mortuos* intelligit, etiamſi omnes mortui monumentis illati non fuerint. Hac ipſâ in hiſtoriâ occurrit phraſis, *deducere canos cum mœrore ſcheolah*, Gen. 42, 38, & c. 44, v. 29 & 31. Et David Salomoni filio de Ioabo: *Facies juxta ſapientiam tuam, & non deduces canos ejus pacificè ſcheol*, 1 Reg. 2, 6. Et mox de Simei: *Quum ſis vir prudens, noſti quæ facturus ſis ei, & deduces canos ejus cum ſanguine ſcheol*, 1 Reg. 2, 9. Locus, quò deducuntur cani, is ſanè recipiendis corporibus competit, non animabus. Cani enim harum non ſunt, ſed illorum. At in loquutionibus memoratis Scheol locus eſt, quò deducuntur cani. Ergo ſepulcrum. Ergo in phraſi ſimili, *deſcendere ad mortuos ſcheolah*, itidem ſepulcrum ſignificabit. Neque enim ſuppetit ratio, quare *infernum*, & non ut in affinibus loquutionibus, *ſepulcrum* ſignificare debeat. Haut abs re igitur Aben Ezra reprehendit Veterem latinum interpretem, quem *errantium interpretem* appellat, quòd *infernum* quàm *ſepulcrum* vertere maluerit. Excuſari tamen, quin & rectè explicari poteſt Vetus verſio, ſi tribuatur latino vocabulo *inferni* paræquivocatio, ſive varia ſignificatio, qualis cadit in vocabula Hebræum *Scheol* & Græcum ᾅδυ. Sic in libro Tobiæ, quod eſt uno loco, Τὸ γῆρας ȣ̓ πατρός μȣ κατάξω μετ᾽ ὀδύνης εἰς ᾅδυ, hoc eſt in altero, Κατάξω τὴν ζωὴν τȣ̃ πατρός μȣ καὶ τῆς μητρός μȣ μετ᾽ ὀδύνης ἐπ᾽ ἐμοὶ εἰς

τὸν

τοὶ τάφοι αὐτῶν, ubi vetus verſio τάφον *inferos* reddidit, *Deponam ſenectutem illorum cum triſtitia ad inferos.* Vide c. 3, v. 10; & c. 6, v. 16. Similiter Iobi 17, 13: *Si ſuſtinuero* ſive exſpectavero, *infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum:* ubi tamen ſepulcrum denotari nemini poteſt eſſe dubium. Eccleſiaſtes 9, 10: *Non eſt opus, nec cogitatio, nec ſcientia, nec ſapientia* בִּשְׁאוֹל, LXX, ἐν ᾅδῃ, Vulgatus, *apud inferos, quò iturus es,* id iſt, in morte, in ſepulcro. Talmudici in Moëd Katon: שירלא (ſic illi commutatis literis ſcribunt) *eſt tamquam tunica velata homini nobili, cujus viaticum eſt abſumtum,* id eſt, ad pauperiem redacto mors eſt opportuna, & ſepulcrum inſtar commodi veſtimenti. Scheol igitur, quod æquivocum eſt, ut ᾅδης in Græcâ, & *infernus* in Latinâ verſionibus, ſimili æquivocatione laborent, effecit. Interim rectius fuerit, ſi vitetur ambiguum, & adhibeatur ſimplicis ſignificationis vocabulum quemadmodum in noſtro loco Pagninus, Tigurini & Tremellius *ſepulcrum*, Munſterus *foſſam* vertunt. Chaldæus Onkelos vocem Scheol retinuit: at paraphraſis, quæ Ionathanis nomen præfert, remotâ ambiguitate vertit קבורתא. Rabbi Salomon Iarchius agnoſcit juxta Peſchat ſive ſimplicem & literalem ſenſum intelligi oportere *ſepulcrum*, vt ſit ſententia, *In luctu meo ſepeliar, & conſolationem omnibus diebus meis non admittam:* at ſecundum Midras, hoc eſt, myſticam & ſubtilem explicationem, notari *gehennam*, & adfert nugas Iudaicas, Iacobo videlicet reſponſum obtigiſſe, ſi, dum viveret ipſe, nullus ex filijs ejus moreretur, tum à videndâ gehennâ immunem fore. Hæc ſcilicet eſt Iarchij myſtica explicatio. Vir eruditiſſimus Alfonſus Toſtatus, etiamſi ex ævi ſui ſententia Limbum, quem vo- Pag. 18

cant, admitteret: tamen, quin hujus loci alia & ſimplicior ſit expoſitio, non auſus fuit negare. Verba ejus hîc legi digna. *Deſcendam ad filium lugens in infernum, id eſt, tamdiu lugebo donec deſcendam ad infernum mortuus, & videam filium meum, quaſi dicat, nunquam fletus recedet à me, donec moriar. Iſta erat reſponſio ad filios rogantes, ut conſolaretur: & hoc redundabat in anguſtiam filiorum, quia propriè videbant ipſi, quòd pater eorum affligeretur uſq; ad mortem, ex eorum culpâ, & hoc erat eis magni cauſſa doloris, & in partem pœnæ pro tantâ eorum culpâ, quòd eis perſuadentibus pater conſolationem recipere nollet.* AD INFERNUM. *Dicit hoc, quia animæ omnium deſcendebant in Infernum ante Chriſti mortem, licet magna ſit differentia, quia quadam in loco pœnali: alia autem in loco ſinus Abrahæ, & in nullâ pœnâ ſenſus. In hoc autem inferno bonorum putabat Iacob ſe inventurum filium ſuum Ioſeph, quia eum in ſuâ innocentia mortuum eſſe putabat. Vel dicitur,* AD INFERNUM, *id eſt, ad ſepulcrum, ſcilicet, quòd non ceſſaret pater à planctu, donec deſcenderet in foſſam, vel in ſepulcrum, ſicut erat filius ſuus Joſeph.* Interpretationem, quam ultimo loco poſuit, optimam ſine dubio judicavit vir ſui ſeculi phœnix, & Hebraicè doctus, quod iſtis temporibus inter Chriſtianos rarum. Strabus auctor gloſſæ ordinariæ, qui vixit ſeculo nono, deſtitutus cognitione Hebraiſmi, ut fere omnes eâ ætate Chriſtiani, atque adeo in unam latinam *inferni* ſignificationem defixus, hic hæret, & quid ſtatuere debeat incertus, *Quæritur*, inquit, *quomodo hoc intelligatur, utrum mali tantum, an etiam boni deſcendunt in infernum? Si tantùm mali, quomodo iſte ad filium ſuum dicit ſe lugentem deſcendere velle? Non enim in pœnis inferni credibile eſt eum eſſe. An perturbati & dolentis verba ſunt, mala ſua etiam ſic ex-*

agge-

aggerantis? an credibile eſt apud infernum quadam loca ſecreta & minùs pœnalia ante paſſionem Domini fuiſſe, ad qua etiam ſancti deſcendebant? Ita opinionem hanc Strabus ſub dubio proponit: quæ tamen ſucceſſu temporis, & quòd interea Hebræum fontem nemo vel adiret vel intelligeret, invaluit. Vnde poſt quatuor ſecula Nicolaus Liranus quamvis Hebraicè doctiſſimus, adhæreſcens tamen dogmati, quod radices tunc egerat, & vulgò receptum erat, *Hebræi*, ait, *exponunt, In foveam vel ſepulcrum: catholici autem meliùs exponunt, dicentes, In infernum, id eſt, ad limbum ſanctorum patrum, qui eſt ſuperior pars inferni.* Non negat quidem, priore modo exponi rectè poſſe: poſteriorem tamen præfert, in opinionem videlicet, quam paſſim admitti videret, pronior. Nihilominus Auguſtinus Steuchus in hunc ipſum locum auſus fuit ſcribere: *Vbicumque Hieronymus & LXX interpretati ſunt infernum, Hebraicè eſt Scheol, id eſt, foſſa ſive ſepulcrum.* Quam notionem quum multis probaſſet, tandem ſubjungit: *Concludimus nihili facientes ea, quæ hac de re ſomniat Lira. Verè enim figmenta ſunt, quæ de limbo ſcribit hoc loco.* De ſepulcro igitur accipiunt & interpretantur, quamvis Pontificiæ partis fuerint, præter Pagninum, quiq; Pagnini verſionem recenſuit Ariam Montanum, & modò productum Steuchum, Cardinalis Cajetanus, Hieronymus Oleaſter, Aloyſius Lippomanus, Iſidorus Clarius, Iohannes Benedictus; qui omnes ad hunc locum videri poſſunt. Quin etiam Biblia anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo Antverpiæ apud Antonium Goinum edita annotatione ad marginem: *foſſam vel ſepulcrum. Non hic ſignificat locum pœnarum, ſicut nec in aliis locis.* Præter hos Iacobus Andradius agnoſcit, libro ſecundo Defenſionis concilij

 Tri-

Tridentini, *infernum pro morte ac ſepulcro Hebræorum dicendi more uſurpari.* Ita quoque Franciſcus Ribera, ne Ieſuitas prætereamus, in Hoſeæ cap. 1, num. 132: *Morientes dicebantur in infernum deſcendere, id eſt, in profundum terræ.* Et Iohannes Lorinus in Act. 2, ver. 24: *Capitur etiam interdum infernus in Scriptura pro ſepulcro.* Denique Chriſtophorus à Caſtro in Baruchi caput ſecundum: *Inferorum nomine licet aliqui velint intelligi ſinum Abrahæ, verius tamen & uſui Scripturæ conformiùs accipiemus ſepulcrum, ut accepit Iacob Geneſ. 37, 35, cum dixit, Deſcendam lugens ad filium meum in infernum, hoc eſt, lugere non deſinam, donec me ſepulturæ mandetis.* Vir prudens & doctus locum adduci ſolitum pro ſententiâ, quam ipſe alioquin amplectitur & defendi cupit, non deſeret, nec aliter accipiet, niſi in eo nullum ſuæ cauſſæ præſidium eſſe liquidò animadverterit.

Caput XXXIIX.

Vers. 5. *Et erat in Chezib.* Vulgata verſio: *Et ceſſavit parere.* כָּזַב *mentitus eſt*, ſignificat etiam, *ceſſavit.* Et Ieſa. 58, 11 memorantur fontes, quorum aquæ non mentiantur, id eſt, non deficiant vel ceſſent. Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis Aquilam eodem ſenſu accepiſſe tradit. *Et factum, ut mentiretur in partu, poſtquam genuit eum.* Quaſi בִּכְזִיב infinitivus eſſet, cujus tamen formam non habet. Verius eſt, quòd ſit nomen proprium loci. Et erat, ſcilicet Iuda, in Chezib. וְהָיָה eſt maſculinum. Sic verſ. 2. Vocavit ſcil. Iuda, nomen ejus Her: quia in Hebræo eſt maſculinum. Sed verſ. 4 & 5 in Hebræo *vocavit* eſt fæmininum, & videtur innui ratio, cur mater nomina dederit duobus iſtis filijs, videlicet quòd pater non eſſet domi, quum ipſa pareret, ſed eſſet in Chezib.

Vers. 8. *Ingredere ad uxorem fratris tui & affinita-*

tem

tem contrahe cum eâ. Ita Pagninus. Sed quomodo poteſt contrahere affinitatem, qui jam erat affinis? Reſpondeo, Non habent latini commodas ſemper voces, quibus exprimere poſſint vocabula Hebræa, ſed circum loquuntur interdum. יָבָם eſt mariti frater *δαὴρ, ἀνδράδελφος*, latinè *levir*, יִבֵּם quod proprium eſt ei, qui ducit uxorem fratris defuncti abſque liberis, non poteſt unâ voce latinâ reddi. Schindlerus in Lexico finxit vocem *leviritavit.* Tremellius optimè: *Fratris nomine duc eam.* Vulgatus, *ſociare illi.*

VERS. 12 & ſeqq. recenſetur, quomodo Thamar, cupida prolis, fraude circumvenerit Iudam, qui differebat Selam filium tertium ei conjungere, quum malè ceſſiſſet duobus prioribus. Et Thamar quidem ab inceſtu excuſari non poteſt, qui ab eâ commiſſus eſt formaliter: voluntas quippe ejus ferebatur in objectum diſtinctè cognitum. Iudæ crimen fuit fornicatio ſeu ſcortatio formaliter, non adulterium, quia uxor ejus erat mortua, ut hic annotatur; & ipſe Thamaram meretricem eſſe credebat: materialiter autem fuit inceſtus.

VERS. 14. *Sedit in bivio itineris.* Ita Vulgatus, cum quo convenit Raſchi. Hebr. *In porta* ſive *apertione oculorum*, id eſt, in loco unde patebat proſpectus, vel *in propatulo*, ubi homines ultrò citroque commeabant. Munſterus: *ſedit in publico loco, qui eſt juxta iter, quod ducit in Thimnath.* LXX, Onkelos, Pagninus, Henaim tamquam nomen proprium accipiunt: quibus favere videtur verſus 21.

VERS. 18. Pignora ſecum abſtulit Thamar, ut Iuda in poſterum poſſet convinci. Ipſe vero verſu 23: *Habeat ſibi; certè mendacij arguere nos non poteſt.* Ita quidem Vul-

 gatus,

gatus. Sed in Hebræo eſt, *ne ſimus contemtui,* id eſt, Retineat pignora: ea enim malo amittere, quàm ut res inquirendo divulgata ignominiam mihi pariat.

Vers. 24. *Producite eam, ut comburatur.* Hîc Iuda, tanquam princeps in ſuâ familiâ, habens poteſtatem vitæ & necis, exercet judicium capitale. Producta autem fuit, non quòd ſtatim eſſet comburenda, ſed quòd cuſtodiæ tradenda donec peperiſſet, & tum demum ſupplicio adficienda. Innocens enim fœtus non potuiſſet comburi ſine crudelitate, ſuperante ipſam Phalaridis crudelitatem. Vivicomburij autem pœnam dictabat Iuda, non ut ſimplici ſcortatrici, ſed ut adulteræ: quia enim deſponſata erat Selah, tertio Iudæ filio, ideo ut conjugatam habuit.

Vers. 26. *Juſtior me eſt, quia non dedi eam Selah filio meo.* Si præſtitiſſem quod promiſeram, ad id, quod fecit, non proceſſiſſet. Illa quidem ſolâ prolis cupiditate impulſa fuit: egò verò libidini meæ morem geſſi.

Vers. 27. *Et ultra non cognovit eam.* Rem poſtea non habuit cum eâ, utpote filiorum ſuorum uxore, ne verè inceſtum committeret: & ipſa contenta fuit ex Abrahami ſtirpe ſobolem ſuſcepiſſe. Selah nihilominus ex ſe familiam propagavit, ut videre eſt Num. 26, 19; aliâ ſcilicet ductâ uxore: eam enim cum quâ pater conſuêviſſet, legitimè ducere non potuit.

Vers. 29. *Et ecce egreſſus eſt frater ejus.* Secundum ordinem naturæ debuiſſet Zerah, qui prior manum exſeruerat, prior egredi. Dicunt rerum anatomicarum periti, ſi ſint gemelli diverſi ſexus, eſſe ſecundinas prorſus diſtinctas: ſi ſint ejuſdem ſexus, eodem involucro, per membranam diſtincto, contineri. Fernelius Phyſiologiæ

logiæ libro 7, cap. 12: *Qui gemelli unius ſunt ſexus, iiſdem ſecundis involuti, ſimplici duntaxat membranâ ſejunguntur. — Qui verò diverſi ſunt ſexus, diverſas quoque ſecundas acceperunt, eaſq́ prorſus diremtas.* Quòd non, qui prior apparuit, prior in lucem prodijt, præter ſolitum fuit, & opinionem obſtetricis. Quæ, partim quòd decepta eſſet, indignata, partim rei novitatem admirata, dixit, *Cur perrupiſti?* vel potiùs, *Quam* validè *perrupiſti?* Obſtitit tibi frater, & egreſſui vicinior fuit: ſed tu quærens exitum & liberum aërem, fratre nequicquam oppoſito, perrupiſti. *Super te ſit ruptura*, id eſt, culpa, ſi ad eum modum perrumpendo, fratremque, ut neceſſe fuit, premendo, fratri aut matri periculum creaveris. Sic Onkelos ad robur infantis trahit, *Quàm multa tibi fortitudo, ut prævalueris.* Rabbi Salomon: *Robur tibi roboratum eſt.* Ex hoc Phares ſecundum carnem prognatus eſt Chriſtus, qui itidem præter naturæ ordinem prodijt, & admirabili, quin divino robore, quæcumque obſtacula, mortis etiam & clauſtrorum ſepulcri, perrupit.

CAPVT XXXIX.

VERS. 1. *Et emit eum Potiphar, eunuchus Pharaonis.* Eunuchus ἀπὸ τῆς εὐνῆς, cubicularius, perinde ut סָרִיס non ſignificat propriè caſtratum, ſed aulicum, cui rex multum fidit & res maximi momenti credit. In AEgypto, Perſiâ, Mediâ, Babyloniâ, degenerantibus in pejus moribus, factum, ut ad removendam ſuſpicionem incontinentiæ præficerentur gynæceo ſeu regijs uxoribus ſervi caſtrati; & hi ipſi aliquando ſive ob induſtriam ſive favore gynæcei ad majores honores evecti. Hinc Eunuchi & Sariſim aliquando caſtratos, ſæpe aulicos proceres & magnates denotant. Vide 1 Sam. 8, 15; 1 Chron. 28, 1.

28, 1. Ceſſat itaque quæſtio de Potiphare eunucho, & nihilominus uxorato. Idem שַׂר הַטַּבָּחִים, qui titulus etiam tribuitur Nebuzaradani, 2 Reg. 25, 20. Notat *præfectum ſatellitum:* quod malo, quàm *laniorum,* ut vertit Pagninus. Quamvis & LXX & Philo ἀρχιμάγειροι vocant; quibus conſentit Ioſephus. Tigurini: *præfectus rerum capitalium.*

Vers. 6. *Nec quicquam aliud noverat, niſi panem, quo veſcebatur.* Hebræa pleniùs: *Relinquebat Potiphar omnia, quæ erat ſibi, in manu Ioſephi; neq; cognoſcebat cum eo quicquam, niſi panem, quo veſcebatur,* id eſt, in nullius rei ſollicitudinem cum Ioſepho veniebat, nec curæ aut operæ alterius particeps erat, quàm ut pane ſuo ſecurè & quietè veſceretur: negocijs videlicet omnibus domeſticis fidei & induſtriæ Ioſephi commiſſis. Sic Ioſephus ipſe infra ad heram, à quâ ſollicitabatur, v. 8: *Ecce dominus meus non cognoſcit mecum, quid ſit in domo; ſed quidquid eſt ipſi, tradidit in manum meam.* Et v. 23: *Præfectus carceris non inſpiciebat in rem ullam, quæ in manu Ioſephi,* id eſt, non deſcendebat in partem ſollicitudinis, & ne rationes quidem exigebat. Aben Ezræ placet, Ioſepho commendatam fuiſſe totius œconomiæ curam, exceptâ curâ panis ſive cibi; *non enim poterant Aegyptij ſumere cum Hebræis cibum; quia abominationi id eſt Aegypto,* Gen. 43, 32. Quæ itaque ad cibum heri facerent, à Ioſepho curata non fuiſſe. Atqui Ioſephus dudum venditione & mancupio in gentem Aegyptiacam tranſierat, ut quaſi Aegyptius haberetur: unde etiam poſtea uxorem ducit Aegyptiam. Et prior expoſitio Hebræo textui magis congruit.

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Sequitur de Continentiâ Ioſephi. Quæ circa eam docentur & monentur, à non nemine aliquando oppugnabantur & *prævaricationis* accuſabantur. Auctor igitur excerpi, peculiariter edi, omniumque oculis & judicijs exponi volebat. Sicut autem edita tunc fuere, ita viſum eſt hîc repetere & apponere.

SOllicitatur Ioſeph ab uxore heri ſui ad ſtuprum. Continentia autem ejus eſt memorabilis & ſummâ laude digna, utpote qui juvenis eſſet & ſollicitaretur à fæminâ ſine dubio juvenculâ. Erat autem poſitus in ſtatu gratiæ, & in viâ ducente ad æternam vitam. Niſi carnis cupiditates, quarum ut homo & ut juvenis penitus immunis non erat, repreſſiſſet, & ab alienâ uxore abſtinuiſſet, commiſſo adulterio gratiâ Dei & ſalute excidiſſet. Ait itaque, *Quomodo facerem malum hoc maximum & peccarem in Deum?* Nempe *ſcortatores & adulteros damnabit Deus*, Hebr. XIII, 4. *Neque ſcortatores, neque idololatræ, neque mœchi, — neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque convitiatores, neque rapaces, regni Dei hereditatem poſſidebunt*, 1 Cor. VI, 9. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt adulterium, ſcortatio, impuritas, laſcivia &c. Qui talia agunt, regni Dei non erunt heredes*, Gal. V, 19. *Neſtis nullum ſcortatorem, aut impurum, aut avarum habere hereditatem in regno Chriſti & Dei. Propter hæc enim venit ira Dei in homines inobædientes*, Epheſ. V, 5. Ergo ad evitandam damnationem & conſequendam hereditatem regni Dei neceſſarium erit talia non agere, ſive abſtinere ab operibus carnis, adul- Gen 39. 9.

terio, ſcortatione & ſimilibus: atque hoc ipſo morem gerere legi divinæ prohibenti adulteria, uti etiam homicidia, furta, rapinas, & alia id genus opera carnis.
Hebr.12,14 Qualis ſanè abſtinentia ad eam pertinet *ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum*, id eſt, ſine quâ nemo beatitudinem & regnum cœleſte conſequetur. Sine quo autem res haberi vel obtineri non poteſt, id ad eam rem habendam vel obtinendam eſt neceſſarium. At ſine actibus abſtinentiæ, de quibus diximus, obſequiique eâ in parte legi divinæ præſtiti, regnum cœleſte haberi vel obtineri non poteſt. Ergo ejuſmodi actus abſtinentiæ ab adulterijs, homicidijs & reliquis operibus carnis ad habendum vel obtinendum regnum cœleſte ſunt neceſſarij.

II. Ne quid autem dubij relinquatur, aliter etiam, & fortè dilucidiùs, ſi quid tamen dilucidius aut deſiderari aut dari poteſt, proponemus. Quæ perpetrata certo certiùs ſalute arcent & excludunt, ab ijs abſtinere ad obtinendam ſalutem eſt neceſſarium. Propoſitio hæc ex ſe & ſuis terminis nota eſt. Si quis eam neget, ad primum principium, quo humana cognitio regitur, revocandus erit. Nempe, ſi vera non ſit, contradictoriam ejus veram fore, quum utraque ſimul aut vera aut falſa
Lib.4.Dialect. eſſe nequeat. *Hæc* enim *eſt*, ut ait Philippus, *regula divini & humani judicij æterna & immota.* Contradictoria fuerit, Quæ perpetrata ſalute certiſſimè excludunt, ab ijs abſtinere ad obtinendam ſalutem non eſt neceſſarium. Hæc verò falſiſſima eſt & abſurdiſſima: contradictionem enim involvit, ita ut ſubjectum deſtruat prædicatum, & prædicatum viciſſim tollat ſubjectum. nam ſubjectum ponit, Si perpetres, te ſalute excidere, ſive ſalu-
tem

tem non poſſe conſequi, (in eo puta ſtatu, & ſenſu compoſito) hoc ipſo videlicet, quod dicitur, *Quæ perpetrata ſalute certiſſimè excludunt.* At prædicatum ponit, Etiamſi non abſtineas, ſed perpetres, & perpetrare pergas, nihilominus te ſalute non excidere, ſive ſalutem conſequi poſſe; hoc ipſo videlicet, quod dicitur, *Ab iis abſtinere ad obtinendam ſalutem non eſt neceſſarium.* Propoſitio igitur iſta poſterior eſt falſa & abſurda, utpote quæ ſuo ſubjecto & prædicato inter ſe mutuò pugnantibus contradictionem involvat, & *iſta perpetrata ſalute excludere & non excludere*, ſimul ponat. Perinde enim eſt, ac ſi dicas, Quæ perpetrata ſalute certiſſimè excludunt, ab ijs abſtinere, ne ſalute excludaris, non eſt neceſſarium. Cujus effati abſurditas nemini ſano homini poteſt eſſe obſcura. Prior itaque vera eſt, nempe, Quæ perpetrata certo certiùs ſalute excludunt, ab ijs abſtinere ad obtinendam ſalutem eſt neceſſarium. At adulteria, homicidia & alia carnis opera, ſi perpetrentur, certo certiùs ſalute excludunt. Ergo ad obtinendam ſalutem neceſſarium eſt (& quidem cuivis mortalium, etiam fideli & renato & in ſtatu gratiæ viaque ſalutis jam conſtituto) ut ab ijs abſtineat, & præceptis divinis prohibentibus occidere, ſcortari, mœchari, furari, calumniari, pareat obſequiumque præſtet.

III. Ergone, inquies, hujuſmodi abſtinentiæ opus vel actus, obſequiumque legi divinæ præſtitum hereditatem regni cœleſtis meretur; & ſicut ex fide & per fidem ſalvamur, ita quoque per iſtam abſtinentiam, ſive per iſtud obſequium? Minimè verò. Nullum enim eſſe meritum hominis ad Deum relati, ſi meritum propriè capiatur, alibi oſtenditur: & hominem ſervari per fidem

& ex fide Ieſu Chriſti, & non ex operibus legis, ſanctus Apoſtolus Paulus ita perſpicuè docuit, ut in proclivi ſit intelligere, cauſſandi rationem, quod ſalutem noſtram attinet, quæ fidei tribuitur, operibus legis, & proinde huic quoque, de quâ modò loquimur, abſtinentiæ & obœdientiæ, quæ ſecundùm legem ab homine renato per opem gratiamq; divinam præſtetur, detrahi. Quum tamen ſit neceſſaria, adeo ut niſi præſtes, id eſt, niſi ab adulterijs, ſcortationibus, (etiamſi ſit opportunitas quà homines clanculum & impunè, qualis Ioſepho ſine dubio oblata fuit, committendi) abſtineas, aut ſi olim commiſeris, committere deſinas, hereditatem regni cœleſtis conſequi non poſſis; inde fit, ut neceſſaria ſit alio modo, quàm ad modum meriti aut cauſſæ. Rectè Bernhardus

De gratiâ & lib. arb.

viam regni dixit, *non cauſſam regnandi.* Dici quoque poteſt conditio, vel cauſſa ſine quâ non, vel cauſſa quæ removeat prohibens. Rom. IIX, 13. *Si ſpiritu actiones carnis mortificetis, vivetis.* Ita ſanè mortificabat Ioſephus. Sequitur verſu 17: *Heredes ſumus Dei, coheredes autem Chriſti, ſi modò cum eo patimur, ut & cum eo glorificemur.*

IV. Chriſtiano & fideli, quando ſæviunt tyranni & perſequutores, aliquando incumbit neceſſitas aut extrema quæque patiendi, patriam videlicet, fortunas imò vitam amittendi, aut Chriſtum abnegandi, eoque abnegato ſalutem & beatitudinem perdendi. *Quiſquis* enim *abnegaverit me*, ait ipſe Chriſtus, *coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo qui eſt in cælis,* Matth. x, 33. Et *quiſquis* tali rerum ſtatu *voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam,* Matth. x, 39; XVI, 25. Marci IIX, 35, Lucæ IX, 24. In his igitur anguſtijs poſitum oportet unà cum Chriſto pati, id eſt, ſuarum fortunarum vitæque rationem nullam habe-

habere, & jacturam facere, ut Chriſtum retineat, & unà cum eo glorificetur. Quo ſanè caſu ad retinendum Chriſtum & obtinendam glorificationem neceſſarium eſt terrena omnia contemnere & abjicere, mortemque & martyrium ſubire. Hanc fidelium conditionem, eo præſertim ævo, quo non minùs acerbæ quàm frequentes erant perſequutiones, intuitus auctor epiſtolæ ad Hebræos, *Patientia*, inquit, *vobis eſt neceſſaria, ut voluntatem Dei* Cap. 10. 36. *facientes reportetis promiſsionem*, id eſt, promiſſam æternam vitam. Patientia ad martyrium & mortem uſque ſæpe eſt neceſſaria, ut antè fuit dictum. Quando videlicet alterutrum eligere oportet, aut Chriſtum unà cum æternâ vita, aut abnegationem Chriſti unà cum temporali. Ad conſequendam ſive non-amittendam æternam neceſſarium eſt homini Chriſtiano eo caſu & rerum ſtatu contemnere & abjicere temporalem. Niſi enim malit perdere temporalem, abnegabit Chriſtum & perdet æternam. Vnde Chriſtus ipſe Marci IIX, 35: *Quisquis voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam; quisquis autem perdiderit animam ſuam cauſâ meâ & evangelij, ſervabit eam.* Lucæ XII, 9: *Qui me abnegaverit in conſpectu hominum, abnegabitur in conſpectu angelorum Dei.* Et Sanctus Paulus II Tim. II, 12: *Si toleramus, etiam conregnabimus; ſi abnegamus, & ille abnegabit nos.* Quippe *per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum Dei*, Actor. XIV, 22. *Et qui non accipit crucem ſuam*, ait Servator, *& ſequitur me, non eſt me dignus*, Matth. X, 38.

V. Sicut autem tali rerum facie Chriſtiano, ne perdat cœleſtem vitam, neceſſarium eſt terrenam ſusque deq; habere, mortemque & martyrium ſubire; qualis tamen neceſſitas nec ſemper, nec omnibus incumbit: ita

cuivis Chriſtum amplexo, ut in Chriſto maneat, grati-
1 Pet. I, 9. am & fidem retineat, & *finem fidei, ſalutem* videlicet *animæ* ſuæ *reportet*, neceſſarium eſt ſpiritualem quamdam mortem & ſpirituale martyrium ſubire, hoc eſt, *carnem*
Gal. 5, 24. *cum affectibus & cupiditatibus crucifigere*, quemadmodum ſanè crucifixerat noſter Ioſephus. Oportet *veterem noſtrum hominem cum Chriſto crucifigi, ut aboleatur corpus peccati, ne amplius ſerviamus peccato*, Rom. VI, 6. Nam *qui paſſus eſt in carne*, ſive qui carnem ejusque deſideria crucifixit, *deſtitit à peccato, ut non amplius cupiditatibus hominum, ſed voluntati Dei, quod in carne reliquum eſt temporis, vivat*, 1 Petri IV, 1.

VI. Qui verò renuit ſpirituale hoc martyrium ſubire, ſive carnem ſuam in vitia proclivem crucifigere & mortificare, & carnis cupiditates injecto continentiæ freno coërcere, ſed mavult fovere & operibus perficere, verbi gratiâ, laſciviæ indulgere, ſcortationes & adulteria committere; is nec in ſtatu gratiæ permanere, nec fidem & Spiritum ſanctum, etiamſi adeptus fuerit, retinere, nec hereditatem regni cœleſtis conſequi poteſt. Igitur ut conſequatur, neceſſe eſt eum carnem ſuam crucifigere, domare, mortificare, ejusque deſideria opere non complere. *Nam ſi ſecundum carnem vixeritis, futurum eſt ut moriamini; ſed ſi ſpiritu actiones carnis mortificetis, vivetis*, Rom. IIX, 13. Quòd τὸ SI conditionem ſignificet, ubi veram cauſſam ſignificare nequit, norunt etiam pueri.

VII. Quibus olim trita quoque erat & familiaris Dialectica Philippi, cujus quarto libro diſcrimen inter veram cauſſam, & cauſſam ſine quâ non, quæ meræ conditioni æquipollet, explicatur his verbis; *Eſt cauſſa verè*

ſic

ſic dicta, quæ non ſolùm adeſt ocioſa, ſed etiam re ipſâ agit aliquid in pariendo effectum, aut pars eſt ejus rei, quæ conſtituitur. Sed cauſſa ſine quâ non, nihil agit, nec eſt pars conſtituens, ſed tantùm eſt quiddam, ſine quo non fit effectus, ſeu quod ſi non adeſſet, impediretur agens, adeo, quia illud non acceſſiſſet. Galenus ſic definivit in tertio libro de differentiis συμπτωμάτων: Ea quæ nihil conferunt, non poſſunt autem ſeparari à conferentibus, habent rationem cauſſæ, quæ dicitur ſine quâ non. A fide verò, per quam nos ſalvari Deus voluit, non poteſt ſeparari ſtudium pietatis, fuga vitiorum, & obœdientia Deo legique divinæ debita. *Quis ferat doceri,* ait Lutherus, *Quòd fides donum Dei per Spiritum ſanctum infuſum cordibus, poſſit ſtare cum peccato mortali?* Vbi itaque neceſſaria eſt fides, *ex quâ juſtus vivet,* ibi quoque neceſſaria ſunt, quæ modò diximus: alio tamen, ſi referas ad eumdem effectum, neceſſitatis gradu, nempe non quidem, ut vera cauſſa, ſed ut conditio ſive cauſſa ſine quâ non. *Via regni,* dixit Bernhardus, *non cauſſa regnandi.* Ad Gal. 5. 6. Rom. 1, 17. Gal. 3. 11. De Gr. & lib. arb. in fine.

IIX. Quum itaque neceſſe ſit omnem, qui verè credit, ſtudioſum eſſe pietatis & alienum à perpetrandis operibus carnis; neceſſe etiam ſit omnem in ſtatu gratiæ poſitum, & viam, quâ ad ſalutem itur, ingreſſum verè credere: hinc fit ut neceſſe ſit omnem, qualem jam diximus, ſive omnem ſalvandum eſſe ſtudioſum pietatis & alienum à perpetrandis operibus carnis, ſcortationibus, adulterijs & ſimilibus, etiamſi eò invitent carnales cupiditates, & alliciat occaſio, & certa ſit, quod homines attinet, ſive occultatio, ſive impunitas. Nempe quæ inſeparabiliter & neceſſariò cohærent, ita ſeſe habent, ut ubi neceſſarium eſt unum, ibi quoque neceſſarium ſit alterum, quamvis ſi effectum ipſum reſpicias, non ſem-

ſemper pari neceſſitatis gradu, ſed unum propter neceſſitatem efficientiæ,alterum propter neceſſitatem cohærentiæ vel compræſentiæ, de quâ diximus; ſive unum ut vera cauſſa, alterum ut cauſſa ſine quâ non.

IX. Nec hinc abludit cauſſa quæ removet prohibens: nam ipſa quoque ad effectum non confert verum & realem influxum,ſed removet impedimenta & ea,cum quibus cauſſæ agentes vel earum actiones conſiſtere ſimul non poſſunt. Eo fere modo ad curationem vulneris facit abſterſio puris: hujus enim præſentia conſolidationem, quam natura & medicamenta moliuntur, impedit. Pus autem vitiorum, quo exuberante ſanitas & ſalus animæ ſperari non poteſt, abſtergitur & amovetur à ſtudio pietatis & obſervatione mandatorum Dei. In morbo acuto, ut ardente febri, abſtinere ab ingurgitando vino non quidem vera & propria cauſſa eſt curandæ & reſtaurandæ valetudinis: niſi tamen æger abſtineat, curari & reſtitui non poteſt. Ejuſmodi igitur abſtinentia etiamſi non ſit cauſſa depulſi & ſuperati morbi, neceſſaria tamen eſt ad recuperandam ſanitatem & ſuperandum morbum, quia videlicet amovet idipſum, quo permanente ſanitas recuperari & morbus ſuperari non poſſet. Tectum igni ſuperimpoſitum non influit in eſſe ignis, ut loquuntur, ſive influxum veræ cauſſalitatis non confert: intercipit tamen & avertit imbres, qui niſi removerentur, ignem exſtinguerent. Ita niſi Ioſephus noſter continentiâ & caſtitate tectus fuiſſet, imber libidinis irruiſſet, & invecto adulterio ignem fidei & ſpem ſalutis in herbâ oppreſſiſſet.

X. Iuvenem Ioſephum juvenes, quorum ætas periculo magis obnoxia, ob oculos ſibi ponant & imitentur,

tur, & ſe quoque adverſus carnis ſuæ titillationes & illecebras meretricias ſerio pietatis, caſtimoniæ & continentiæ ſtudio muniant, involuant, contegant, ne libidines non modò proſperitatem, quam in hiſce terris ſperare poterant, ſed omnem propitij numinis favorem & ipſam æternam ſalutem ijs eripiant.

XI. Dices, Etiamſi delinquat adoleſcens, dum cupiditatibus ſuis obſequitur & laſciviæ operatur; poteſt tamen actâ pœnitentiâ in integrnm reſtitui, atque ita non obſtantibus prioris vitæ flagitijs ſalutem conſequi. Reſpondeo, Hoc ipſo quòd flagitia perpetrat, ſtatu gratiæ & ſalutis excidit, & in ſtatum damnationis incidit. Poteſt quidem, ſi divina benignitas indulgeat, ſi tempus & occaſio in viam redeundi ſuppetat, nec ipſe divinæ gratiæ ad pœnitentiam invitanti deſit, in priſtinum locum reſtitui: ſed hoc totum contingens eſt, & poteſt etiam non fieri. Flagitium perpetratum per ſe conſequitur ira Dei & ſtatus damnationis; reditus in viam, reconciliatio & reſtitutio non niſi ex accidenti, atque ita, ut poſſint etiam non ſequi, & ſæpe numquam ſequantur. Volumus autem hic conſiderari verba Sancti Petri II epiſt. II, 20: *Si, poſtquam pollutiones mundi per agnitionem domini & ſervatoris Ieſu Chriſti effugerint, his rurſum implicati ſuperentur, facta eſt ultima eorum conditio deterior priore.*

XII. Abſit igitur, abſit aliquem aut adeo væcordem eſſe aut impium, ut ſive juventutem in vitia alioquin ſuâ temeritate pronam, ſive vulgus hiſce præſertim infeliciſſimis temporibus in flagitia præceps, doceat, Daß keinem der Chriſten ſein vnd ſelig werden wil/ zu ſeiner Seligkeit nötig ſey/ Ehebruch/ Hurerey vnd dergleichen Laſter

zu meiden: item daß deme/ der dieſelbe begangen/ davon abzuſtehen/ vnd nach Gottes Gebot/ die ſolche verbieten/ zu leben/ zu ſeiner Seligkeit vnnötig ſey: item daß ohne verluſt der Seligkeit gemelte vnd andere dergleichen Sünde können begangen/ oder darinne fortgefahren werden.

Cæterum quò nos tandem, dum in contemplandâ Ioſephi continentiâ defixi hæremus, prolabimur? Revertamur è diverticulo in viam, & ad hiſtoriam: *Femina*, ut eſt in proverbio, *aut amat, aut odit.* Itaque poſtquam repulſam tulit, amorem convertit in odium. & crimen, cui ipſa erat obnoxia, Ioſepho impingit. Pulcrè in hanc hiſtoriam Ambroſius: *Magnus vir, qui venditus ſervile tamen neſcivit ingenium: adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehenſus aufugit. Qui quum ab uxore domini conveniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit: ac ne ipſa quidem verba diu paſſus eſt. Contagium enim judicavit, ſi diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva tranſirent. Itaq; veſtem exuit, crimen excuſſit, & relictis quibus tenebatur exuviis, ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris. Non eſt enim nudus, niſi quem culpa nudaverit.*

Vers. 20. *Tradidit Ioſeph in carcerem, ubi vincti Regis cuſtodiebantur.* Eâde re pſalmus 105, 18. *Afflixerunt compede pedem ejus, & in ferrum venit anima ejus*, id eſt, ferream catenam ipſe ſubiuit. Succeſſu quidem temporis clementer habitus eſt: ſed ſub initium, ardente adhuc zelotypiâ heri, ſine dubio duriùs. Tum itaque *ferrum venit in animam ejus*, quæ aliorum verſio eſt; hoc eſt, ipſum cinxit & circumdedit. Aut fortè, etiamſi poſtea mitiùs haberetur, tamen, ut captivus, compedem aut catenam ſemper geſtavit.

CAPVT XL.

Hoc capite memorantur ſomnia præfecti piſtorum & præfecti pincernarum, ob delicta ſua ab irato Pharaone in carcerem, in quo Ioſeph erat, conjectorum. *Poſuit eos in carcere domus Sar battabachim,* v. 3. Eſt hic titulus, qui priore capite Potiphari tribuitur, ut proinde is ipſe princeps ſatellitum ſive ſpiculatorum, quibus etiam cuſtodia carceris & captivorum demandari ſolet, fuerit. unde ei promtum, Ioſephum in carcerem, in quo captivi Regis adſervabantur, conjicere, cap. ſup. v. 20.

Occaſione autem horum ſomniorum, quæri poteſt de ſomnijs. *Non obſervabitis ſomnia*, habet lex Moſis, Levit. XIX, 26; Deuter. XIIX, 10, juxta vulgatam verſionem: juxta textum Hebræum, divinationes generatim prohibentur. Nota verò alia ſomnia eſſe merè naturalia; alia immitti divinitus, & hæc ipſa eſſe gradum prophetiæ. De gradibus prophetiæ certum eſt, præſtantiſſimum eſſe quando vigilanti, intelligenti, per expreſſa verba revelationes offeruntur, aut etiam intrinſecè citra externum ſermonem inſpirantur. Infimi verò gradus eam eſſe revelationem, quæ fiat per ſomnia. Qualia non niſi divinitus immittuntur, & de quibus nemo poteſt judicare, niſi divinitus illuſtratus. Poſſunt etiam ſomnia divinitus immiſſa habere minùs cari Deo, ut hic Pharao, & apud Danielem Nebucadnezar. Sed illorum tunc eſt, ſimpliciter ſomniare: interpretari autem & dignoſcere, ſpiritus Prophetici. Si quid tales ulteriùs præſtent, habent ſe ſicut aſina Bileam in loquendo, & Cajaphas in prophetando. Naturalia ſomnia ſolent ex duplici cauſsâ oriri. I ex naturali temperamento, II ex actionibus, quas homines interdiu frequentant. Quem-

admodum enim *navita de ventis, de tauris narrat arator:* ita quoque navita de ventis, de tauris arator ſomniat. Quæ habent cauſſam naturalem à temperamento, ſunt ſigna rei præſentis,& eorum dijudicatio pertinet ad Medicos & Philoſophos. Sic Melancholici triſtia ſomniant: Cholerici, pugnas, incendia: Phlegmatici, quæ ad aquas ſpectant, natare, nauigare: Sanguinei læta vident ſomnia. Et hæc talia, quæ hominibus vi temperamenti, quando primùm ſopiuntur, offerri ſolent, indicant rem non futuram, ſed præſentem, id eſt, temperamentum corporis: & hinc ſæpe Medici de humore prædominante conjecturam capere poſſunt. Porrò ſomnia, qualia actiones & objecta, circa quæ vigilantes occupati fuimus, ſuggerunt, non primùm ſopitis, ſed in multam noctem provectis, aut ad ſomnum ex intervallo reverſis offeruntur, & ſunt prorſus fortuita. Naturaliter itaque ex ſomnijs futura colligi non poſſunt.

VERS. 15. *Furtim ſublatus ſum de terrâ Hebræorum.* Atqui venditus erat. Reſp. Fratres, qui vendiderant, furtum ſive plagium hoc commiſerant. Nam qui hominem liberum vendit, plagiarius eſt. Ad veritatem itaq; ſermonis ſufficit, quoquo modo interveniſſe furtum ſive plagium: nec opus erat, ut exactè omnia pincernæ exponeret.

CAPVT XLI.

VERS. 1. *Poſt duos annos vidit Pharao ſomnium*, divinitus videlicet immiſſum. Fuit itaq; Ioſeph per triennium & ultra in carcere: nempe annum unà cum pincernâ & piſtore, Geneſ. XL, 4; & biennium deinceps: nam pincerna aut oblitus fuit Ioſephi, aut rem, donec occa-

ſio

ſio offerretur, diſtulit. Somnia, ut patet, portendebant fertilitatem & ſterilitatem, copiam & inopiam. Viſus eſt ſibi Pharao *ſtare ſuper* vel juxta *fluvium*, id eſt, Nilum: ſi quidem à Nilo ejusque incrementis pendet fertilitas AEgypti. Hinc Plinius: *In duodecim cubitis* increſcentis Nili *famem ſentit* AEgyptus; *in tredecim etiamnum eſurit: quatuordecim cubiti hilaritatem adferunt; quindecim ſecuritatem; ſexdecim delicias.* Vtrumque autem ſomnium accommodum fuit ſignificare, quod portendebatur: quippe ab agriculturâ & pecudibus pendet ſaturitas & fames. Vbi copia frumenti & pecudum, ibi quoque copia annonæ: ubi inopia eorum, ibi caritas annonæ. Res igitur in his ſomnijs offerebantur, quæ ſuâ naturâ natæ erant portendere fertilitatem vel ſterilitatem. lib. 5. c. 9.

VERS. 16. *Abſque me*, etiam ſine meâ operâ, *Deus reſpondebit pacem*, quæ ad pacem, ſalutem & proſperitatem regni tui poſſint facere. Onkelos παραφράζεται: *Non ex meâ ſapientiâ, ſed à facie Domini reſpondebitur pax Pharaoni.*

VERS. 40. *Ad os tuum oſculabitur omnis populus meus.* Ita Hebræa, quæ expreſſit Tremellius. Id eſt, ſermonem tuum & oris tui mandata exoſculabitur, venerabitur, exſequetur. Onkelos, Pagninus, Munſterus, Vatablus vertunt, *armabitur*: ſenſu quidem, quem vox Hebræa poſſit admittere, minùs tamen uſitato, & magis, quàm hîc res ferat, reſtricto. Non enim armorum ſaltim, quin non tam armorum, quàm rerum ad pacem & œconomiam facientium arbitrium Ioſepho committit. Vulgatus ſententiam expreſſit: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Et hoc è Græco: ἐπὶ τῷ ςόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου.

Vers. 43. *Feciteq; eum adſcendere ſuper currum ſuum ſecundum*, ut hoc ipſo ſecundus ſive proximus à rege eſſe declararetur. *clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent.* Ita hodie Vulgata. LXX ſimpliciter · ἐκήρυξεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ κῆρυξ. Quod expreſſit Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis : *Et clamavit ante eum præco. Pro quo*, inquit, *Aquila tranſtulit, Et clamavit in conſpectu ejus ad geniculationem.* Ad ſenſum igitur Aquilæ Vulgatus acceſſit. In Hebræo eſt, *Clamabant ante eum*, *Abrech*: quam vocem, eodem Hieronymo teſte, Symmachus retinuit. ברך idem aliquando, quod *genuflexit.* Et Kimhi א pro ה poni exiſtimat, Abrec pro Habrech, in Hiphil, *Genuflecte.* Ad eumdem ſenſum vergit Aben Ezra, & apud Raſchi in hunc locum Filius Dormaſchith, neſcio quis. Hi itaque cum vulgato faciunt. Onkelos vertit, *Hic eſt pater regis.* Et notat Raſchi, רך in linguâ Aramæâ ſive Syrâ regem ſignificare. Subjungit R. Iudam expoſuiſſe, *Joſeph pater* ſive ſenex *ſapientiâ tener annis.* Qui videlicet ad רכך reſpexit, & inde ſuum *tener* deduxit. Et hanc interpretationem etiamſi Filius Dormaſchith, cujus paullò antè meminimus, rejiciat; Hieronymus tamen cæteris omnibus præfert. Verba ſunt Quæſtionibus Hebraicis in Geneſin : *Mihi videtur non tam præco ſive adgeniculatio, quæ in ſalutando vel adorando Ioſeph accipi poteſt, intelligenda, quàm id, quod Hebræi tradunt, dicentes PATREM TENERVM ex hoc ſermone transferri. Ab quippe dicitur pater, Rech delicatus ſive tenerrimus, ſignificante Scripturâ, quòd juxta prudentiam quidem pater omnium fuerit, ſed juxta ætatem tenerrimus adoleſcens.* Hæc ibi. Chaldæi Ionathan & Ieroſolymitanus utramque τοῦ רך notationem conjungunt. Ionathan enim vertit : *Hic eſt pater regis, mul-*

multus in ſapientiâ & tener in annis Ieroſolymitana paraphraſis : *Clamabant ante eum & dicebant, Vivat pater regis, qui multus in ſapientiâ & tener in annis.* In tantâ opinionum de re haut magni momenti varietate, ſequi poteſt quiſque, quod commodum videbitur. Forte *Abrech* vox eſt Aegyptiaca, cujus genuinam ſignificationem eruendi nobis hodie nulla ſuppetat copia. Si Hebræa eſſe creditur, ad genuflexionem commodiſſimè referetur.

VERS. 44. *Præter te*, abſque tuo imperio *non levabit quisquam manum ſuam & pedem ſuum.* Nihil fiet te inconſulto. Sic David pſal. CXXXIX, 2: Tu noviſti ſeſſionem & ſurrectionem meam, id eſt, omnes actiones meas.

VERS. 45. *Vocavit Pharao nomen Ioſephi Saphnath Paaneach.* Onkelos vertit, *virum, cui occulta revelata.* Ionathan, *virum occultorum interpretem.* Ioſephus, κρυπτῶν εὑρετήν. Philo, Μετονομάζει αὐτὸν ἀπὸ τῆς ὀνειροκριτικῆς. Saphnath ad radicem צפן *occultavit* retulerunt. At ſequens vox Hebræam non habet originem. Vtraque igitur Aegyptia potiùs Quamquam fieri potuit, ut in aliquâ voce vel radice vocis (*ſaphnath* ſcilicet) lingua Hebræa & Aegyptia convenerint. Aben Ezra : *Si hæc vox* Saphnat-pahaneach *Aegyptia eſt, neſcimus interpretationem ejus : ſi vero ipſa interpretationem continet,* ſive interpretationis loco poſita eſt, *neſcimus nomen Joſephi,* quod videlicet ei linguâ Aegyptiâ Pharao impoſuit. Vulgatus per periphraſin : *Vertit nomen ejus, & vocavit eum linguâ Aegyptiaca Salvatorem mundi* Hieronymus, qui acceptionem τῦ Abrech, quam Vulgatus habet, improbavit, hanc acceptat. In hunc enim modum ſcribit Quæſtionibus Hebraicis : *Licet Hebraicè hoc nomen* Abſcon-

ſconditorum repertorem *ſonet; tamen, quia ab Aegyptio ponitur, ipſius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo ſermone Aegyptio Zaphanath Phaannecha, ſive, ut LXX transferre voluerunt,* ψονθομφανήχ, Salvator mundi, *eò quòd orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit.* An firma ſit hæc interpretatio, nemo hodie facilè dixerit aut probaverit.

Vers. eod. *Et dedit Aſnath, filiam Potipherah, ſacerdotis On, in uxorem.* כֹּהֵן ſignificat non tantùm ſacerdotem, ſed & principem aut præſidem, ut vertit Onkelos, & puto eſſe rectius. Et ſic ceſſat quæſtio, num ſacerdos veri Dei, an idoli fuerit Philo quidem tribuit ei ſacerdotium Solis. Sed cum tali Ioſeph adfinitatem non contraxiſſet. Cap. XLVII, 26. dicitur non emiſſe agros כֹּהֲנִים id eſt, præſidium, ſive eorum, qui nomine Regis provincias adminiſtrabant. nam alioquin his alimenta, & præ cæteris ſubditis immunitates debebantur. On LXX, Ioſephus, Vulgatus *Heliopolin* vertunt. Et à Plinio inter præfecturas ſive nomos Aegypti Heliopolites memoratur lib. V, cap. 9. Hinc videlicet nomo præpoſitus פּוֹטִי־פֶרַע Potipherah, cujus filia nupſit Ioſepho, alius à פּוֹטִיפַר, qui Ioſephum ab Iſmaëlitis emerat & in carcerem conjecerat. Nempe diſtinguuntur cùm non ine, ut ex literis apparet; tum officio: ille enim Heliopolitanæ regioni, iſte ſatellitibus aulicis præfectus. Nugati igitur ſunt Hebræi, qui perſuadere voluerunt Hieronymo, *emtum à Potiphare Ioſephum ob nimiam pulcritudinem in turpe miniſterium; & à Domino virilibus ejus arefactus, poſtea electum eſſe juxta morem* ἱεροφαντῶν, *in pontificatum Heliopoleos; & hujus filiam eſſe Aſeneth, quam poſtea Ioſeph uxorem acceperit.* Hæc enim Hebræos tradidiſſe auctor eſt Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis.

Vers.

VERS. 48. *Congregavit omnem cibum* vel annonam *ſeptem annorum.* Intellige juxta verſum 34 præcedentem, quòd congregaverit quinctam partem frumenti ſeptem annis abundantibus producti. Emitne à ſubditis, an ut vectigal exegit? Si emit, vili precio, quum tantopere abundaret, emere potuit. Si verò ut vectigal exegit, credendum eſt quinctam partem fructuum lege & conſuetudine Regi alioquin debitam fuiſſe. Acceſſiſſe à Ioſepho curam colligendi & ſervandi: quæ ab ignaris venturæ ſterilitatis aliàs inſuper habita fuiſſet. Si nec emiſſet, vendere tanto precio poſtea ſine iniquitate (cujus quis Ioſephum accuſet?) non potuiſſet. Non videtur trituraſſe, ſed unà cum ſpicis recondidiſſe, ut ſuppeterent etiam jumentis pabula. Vulgatus: *In manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Aegypti.* Philo: ἤγειροι πλήθην δραγμάτων. Porrò quæ primo anno fertili condita, diſpenſata ſunt primo anno famis, & ſic conſequenter. Veroſimile etiam eſt, opulentiores ſibi providiſſe in biennium uſque ad minimum, ut demum ſummâ urgente neceſſitate opem Regis implorarint. Ne verò opus eſſet è longinquo petere, in ſingulis regionibus ex agris in vicinas urbes convectæ fuerant fruges, ut conſtat è v. 48. Ecce, quantum in prudentiâ momentum, & in bono ordine emolunientum!

VERS. 56. *Aperuit Joſeph omnia horrea, in quibus erat frumentum, & vendidit Aegyptiis: invaluerat enim fames.* Audi hic allegoriam Ambroſij. *Dominus Jeſus*, inquit, *jejunia mundana miſeratus aperuit horrea ſua, & myſteriorum cæleſtium theſauros ſcientiaq́ patefecit abſconditos, ut nulli alimenta deeſſent. Dixit enim Sapientia: Venite, edite panes* Prov. 9.5.
meos. Et ideo ab illo ſolo dicitur, (Dominus paſcit me, & nihil Pſal. 23.1.

mihi deerit,) qui ſaturatur à Chriſto. Aperuit ergo horrea ſua Chriſtus & vendebat non æra pecuniæ, ſed fidei precium, & devotionis ſtipendium quærens. Vendebat autem non paucis in Iudeâ, ſed vendebat omnibus, ut ab univerſis nationibus crederetur. Et omnes regiones venerunt in Aegyptum ad Ioſeph emere. Obtinuerat enim eos fames. *Omnes enim eſurient, quos non paverit Chriſtus. Emamus ergo alimenta, quibus famem poſſimus repellere. Nemo paupertatis ſuæ contemplatione revocetur, nemo vereatur qui argentum non habet. Non quæritur Chriſtus argento, ſed fide, quæ argento precioſior eſt. Denique emit eum Petrus, qui non habebat argentum.*

CAPVT XLII.

Vers. 1. *Vidit Iacob, quòd eſſet frumentum* vel annona *in Aegypto.* In Hebræo eſt שֶׁבֶר *fractio*, fortè quòd panes apud Hebræos ita formarentur, ut frangi & fracti diſtribui poſſent. Hinc igitur & panis & ipſum etiam frumentum *fractio.* Sunt, qui ita dici putant, quòd famem frangat ſicut aqua ſitim. vide pſal. civ, 11. Sed hoc longiùs petitum videtur.

Dixit Iacob, Quid aſpicitis vos ipſos, id eſt, alij alios, & rem junctis operis non aggredimini? Nempe ſolent homines pigri & deſides ſe invicem reſpicere, quum faciendum aliquid eſt: quod faciunt etiam, qui inopiâ conſilij laborant.

Vers. 15. *Ita vivat Pharao.* Quæritur, an & quomodo Ioſeph legitimè potuerit jurare *per vitam*, ſive ut Vulgatus habet, ſalutem *Pharaonis*? Reſp. Iuramentum eſt invocatio Dei, quâ Deum teſtem, quòd non fallamus, vindicem vero, ſi feſellerimus, invocamus, atque ita nos ipſos ad pœnam obligamus. Eſt autem juramentum

aliud

aliud promiſſorium, aliud adſertorium. Promiſſorium, cujus interventu nos ad aliquid, quod in noſtrâ poteſtate ſit, præſtandum vel non præſtandum obligamus. Adſertorium, quo ſimpliciter dictum aliquod noſtrum, tamquam verum, confirmatum imus. Vtrique jungi poteſt exſecratio, quod fit, quum disertè invocatur Deus tamquam vindex falſi & fraudis, ſi quæ commiſſa fuerit: & tum Deo vindici ſubijcimus vel obligamus ſive noſmetipſos, ſive aliquid noſtrum aut valde nobis carum. Potuiſſet Ioſeph ſuam ipſius vitam exſecrationi ſubijcere: ſed ille, utpote fidus ſubditus, plurimi facit vitam Regis, & pluris etiam, quàm ſuam ipſius. Hinc quòd vitæ Pharaonis, quàm ſuæ ipſius meminiſſe malit. Sic poſſunt parentes exſecrationi ſubijcere, non tantùm ſemetipſos, ſed etiam liberos, & contrà. Et ſi juramentum veritate nititur, non eſt id caritati adverſum, ſed argumentum potiùs, quanti quis faciat alium. Verùm ſi falsò juratur, maximè eſt contra caritatem. Romani olim jurabant per genium Cæſaris. Hoc juramentum fuit idololatricum: quippe jurarunt per eum genium, tamquam divinitatis participem, & proinde occultorum teſtem & fraudis vindicem. Quoniam enim juratur de occultis (nam de manifeſtis nemo niſi temerè jurat) ideo jurantes ſupponunt, eum, per quem jurant, eſſe occultorum conſcium & quamvis occultæ fraudis certum vindicem fore, id eſt, divinâ ſcientiâ & potentiâ pollere. Non hoc modo, ſed altero, quem expoſuimus, per vitam Pharaonis jurat Ioſephus, nempe ſubijciendo eam exſecrationi, ſi fallat vel aliter agat. *Ita vivat Pharao*, inquit, *non egrediemini hinc, niſi quum huc venerit frater veſter minimus*, id eſt, non egredier i-

 nio-

ni omnes; nec egredi emini ſine obligatione & neceſſitate redeundi. Simeon enim manere coactus eſt: cæteris quidem permiſſus fuit abitus, ſuo tamen loco obſidem è fratribus unum relinquentibus. Igitur ne cæterorum quidem abitus liber fuit, & ſine obligatione redeundi.

Vers. 23. *Quia interpres erat inter eos.* Diverſæ itaque linguæ Aegyptiaca & Hebræa. Quod tamen non obſtat, quin in nonnullis voculis convenerint.

Vers. 37. *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi.* Sermo ſine mente, qualis ſolet eſſe perturbatorum. Nam quid ſolatij, quid commodi obtingeret Iacobo, ſi poſt amiſſos filios interficeret nepotes ſuos? Vehemens itaque perturbatio hunc ſermonem Rubeni expreſſit. Videtur voluiſſe dicere, Quidquid mihi cariſſimum eſt, oppignorabo tibi.

CAPVT XLIII.

Vers. 2. *Pauxillum eſcarum.* Quantum ſcilicet hujus anni inediæ depellendæ ſufficere poſſit. Ignorabat videlicet Patriarcha quinque adhuc famis annos ſupereſſe, proximumque fertiliorem ſperabat, ſed fruſtra.

Vers. 8. *Mitte puerum*, id eſt, minimum natu. Benjamin aliàs erat viginti quatuor annorum, quum deſcenderet in Aegyptum.

Vers. 9. *Omnino peccavero in te omnibus diebus meis.* חטא *erravit, peccavit*, uſurpatur etiam pro eo, quod eſt reum eſſe criminis vel obnoxium pœnæ. Senſus eſt, Fatebor me reum apud te eſſe fidei violatæ quamdiu vixero; vel, Agnoſcam me peccatorem & pœnæ obnoxium.

Vers. 11. Iacobus pater tandem conſentit in abi-

tum

tum Benjaminis, quia nullum aliud occurrebat remedium: & unà mittit muneri nonnihil aromatum, reſinæ, & fructuum, quos Aegyptus regio plana, depreſſa & ob id tantùm frumenti ferax, non ferebat; Syria autem & Chananæa, regiones montanæ arborumque & fruticum feraces producebant. *Sumite*, inquit, *de optimis terræ fructibus*, ſeu, ut eſt in fonte, de laude & prædicatione terræ, hoc eſt, de eo, quod in terrâ Chanaan laude dignum & præſtans reperitur. זִמְרָה ſignificat carmen vel rem carmine aut prædicatione dignam. Senſus eſt: Accipite fructus, qui apud illos rari ſunt, & huic regioni laudem & celebritatem conciliant.

Vers. 23. *Pecuniam, quam dediſtis mihi, probatam ego habeo.* Ita Vulgatus, ſecundum cujus verſionem falſum loquitur œconomus ille: neque enim pecuniam, quæ reddita erat, habebat. In Hebræo eſt. *Pecunia veſtra pervenit ad me.* Hoc erat verum, quamvis reticeat, quòd juſſus fuiſſet eam reſtituere & in ſaccos clam referre.

Vers. 31. *Quia non poterant Aegyptij comedere cum Hebræis panem*, id eſt, per legem aut conſuetudinem non licebat unà cibum ſumere. Ioſephus itaque, qui familiariter ijs utebatur, tranſierat jam quaſi in gentem & jura Aegyptiorum. Ex varijs cauſſis contingere poteſt, ut una gens alteram averſetur, propter diverſitatem (verbi gratiâ) ſive morum, ſive religionum. Nos cauſſam, quare convictum Hebræorum Aegyptij abominati fuerint, exactè ſcire non poſſumus.

Vers. ult. *Et tulit portiones à conſpectu ſuo ad illos*, ſcilicet tranſmittens: h. e. Ioſephus fercula vel partes ferculorum è mensâ ſuâ ad fratres mittebat. Moris fuit

apud veteres, imò hodie etiam eſt, ut è principum menſis fercula mittantur ad eos, quibus favetur, unde illis nomen *miſſuum*. Cyrus, niſi fallor, ſæpe lagenas ſemiplenas & anſeres ſemeſos miſiſſe ſcribitur, ut ſignificaret de eo ſe miſiſſe, quo ipſe uteretur & maximè delectaretur. Curtius eques Romanus delitijs diffluens, quum macrum turdum ſumſiſſet in convivio Cæſaris Auguſti, interrogavit an mittere liceret. reſponderat princeps, Quid ni liceat? ille per feneſtram ſtatim miſit. Narratur à Macrobio in exemplum patientiæ Auguſti, Saturnaliorum libro 2, cap. 4. *Et multiplicavit partes Beniamin, plus quàm partes omnium eorum, quinque partibus*, id eſt, ut quinque partibus aliorum partes excederent. Si reliquis III, Benjamini IIX; ſi reliquis IV, Benjamini IX miſit ſive fercula, ſive ferculorum partes. Hi autem miſſus facti ſunt, ut diximus, honoris & teſtandæ benevolentiæ ergo.

CAPVT XLIV.

Vers. 2. *Scyphum meum argenteum pone in ore ſacci junioris.* Videtur voluiſſe explorare, quo animo erga Benjaminem eſſent.

Vers. 5. *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Ita Vulgatus, & etiam Vatablus, LXX quoque: οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ. Sed augurium ſuperſtitio erat gentilis, à Deo ſeverè prohibita; quî igitur in Ioſephum cadere potuit, virum adeo pium? Num, quandoquidem res ſimulatè agebatur, Ioſephus præfectum domus ſuæ ita voluit loqui, quemadmodum tali ſimulationi conveniens erat? Quód probatur Mercero. Et fortè vulgus Ioſephum, quem ſomnia interpretari & futura prædicere intellexerat, augu-

auguria more gentili captare credebat. Onkelos : *Inquirendo inquirit pro eo*, id eſt, diligentiſſimè eum quærit: vel, pro eo ſive ejus gratiâ augures & divinos conſulit, ut, quis eum abſtulerit, indicent; quemadmodum exponit Kimhi in libro Radicum, & ſequitur Munſterus. Kimhi addit : *Sunt, qui interpretentur, ipſummet ejus gratiâ augurari, h.e. exiſtimare, quòd amiſſio ſcyphi ſit omen malum, quia perierit vas, è quo biberit.* Rabbi Iona apud Aben Ezram exponit, uti Kimhium exponere diximus. Ipſe verò Aben Ezra propriam habet interpretationem, *Tentat vos eo* ſcypho, *ut cognoſcat, num fures ſitis.* Senſus itaque, נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ explorando explorat, ſive experiendo experitur & cognoſcit per eum ſcyphum. Similem uſum vocis oſtendit Aben Ezra Gen. xxx, 16. ubi Laban dicit Iacobo, נִחַשְׁתִּי *Exploratum habeo, expertus ſum*, vel, ut habet Vulgatus, *experimento didici, quòd benedixerit mihi Dominus tua cauſâ.* Et hoc ipſo capite, Infra verſ. 15: *Annon neſtis, explorando explorare virum, qualis ego ſum?* id eſt, de cujus perſpicaciâ & explorandi acrimoniâ fama paſſim percrebuit. Quomodo itaque ſperare auſi eſtis, furtum veſtrum à me deprehenſum non iri? Aben Ezræ interpretationem ſequuntur Pagninus & Tremellius. Et videtur optima. Poteſt autem accommodari dupliciter, Vel ita, ut ipſe Aben Ezra accommodat: ſcilicet, Hoc ſcypho tentat, explorat ſive experimentum capit dominus meus, num advenæ picatas habeant manus & furaces ungulas; vel in hunc modum, Tentat & explorat per hunc ſcyphum, quomodo in vino ſe gerant hoſpites, & proinde quo animo ac indole ſint. Sic Horatius:

Reges

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et tentare mero, quem perſpexiſſe laborent.

Nempe, ut habet proverbium, in vino veritas. Et eſt apud Hebræos adagium, quod R. Eleazari tribuitur, בְּכִיס בְּכוֹס בְּכַעַס In loculo, in poculo, in irâ cognoſcitur animus hominis. Lectoris eſto arbitrium, quid horum ſequi malit.

Vers. 18. incipit oratio Iudæ pro dimiſſione Benjaminis, & extenditur uſque ad finem capitis. Luculentam ejus paraphraſin legere eſt cùm apud Philonem, tùm apud Ioſephum hiſtoricum. Qui, quum poſterior ſcripſerit, id operam dediſſe videtur, ut priori palmam eloquentiæ præriperet. Lubet ex utroque, ut latinè loqui eos fecit Sigiſmundus Gelenius, pauca, & quidem extrema orationum, adjicere. Philonis hæc ſunt: *Miſerere ſenis obſecro, reputans quàm impotenter hanc calamitatem laturus ſit, non recepto, quem nobis inconſultè commiſit, filio. Tu tamen pro injuriâ, quam videris accepiſſe, pœnas ſumito. en me vicarium. ex hac die ſervorum tuorum numero adſcribito. libenter cenſebor inter tuos novitios, modò puerum digneris dimittere. id non tam puero dabitur, ſi condonabitur, quàm ſeni abſenti, ſublevando tot anxietatibus. atque adeò ipſi parenti omnium. ad tuam enim dextram, ceu ad aram, utinam non fruſtra, confugimus. Miſerere ſenis per totam ætatem exerciti honeſtis laboribus: qui totius Syriæ civitates in venerationem ſui convertit, quamvis alio ritu vivens & aliis legibus, longè diverſis ab indigenarum moribus. Sed vicit vitæ honeſtas, & perpetuus dictorum factorúmque conſenſus, ut etiam à ſuis inſtitutis alienos ad benevolentiam flexeris. ei ſic gratificaberis, ut nihil poſſit contingere gratius. quid enim poteſt eſſe gratius, quâm deploratum recipere?* Iſta Flavij Ioſephi. *Plus*

illius miſeratio apud te valeat, quàm noſtra iniquitas. Defer, hoc honoris ſenectuti ejus, quæ ſi nobis orbetur, ſuperſtes durare nec volet nec poterit, defer tui parentis memoriæ, defer ipſi patris vocabulo, quod tibi jam contigit: ita tibi Deus omnium pater hoc felix faxit ac perpetuum. quem & ipſum honorabis hac pietate propter commune nomen, ſi te calamitatis ſenis patris miſereat. Nunc tuum eſt, quæ nobis Deus dedit, quum jure poſſis, non auferendo iterum dare, & hoc pacto Dei benignitatem imitari. Quum enim tantundem ad utrumlibet valeas, præſtat bene facere quàm malè, & poteſtate contentum tui juris non meminiſſe, ſed tantùm ad ſervandos homines potentiam tibi datam exiſtimare, & quò pluribus ſalutem dederis, hoc te illuſtriorem fore. potes autem fratri erroris veniâ datâ nos omnes ſervare. — Non addam juvenem eſſe, & per ætatem nondum ſatis ſapere, & talibus non gravatim veniam dari ſolere, ſed hîc dicendi finem faciam, ut ſive damnemur, mihi imputetur non ſatis diligenter huic cauſſæ patrocinato; ſive abſolvamur, in ſolidum hanc gratiam tuæ clementiæ ac bonitati debeamus, cujus laudi hoc quoque accedet, quòd non ſolùm nos ſervaveris, ſed plura etiam quàm nos ipſi in cauſſâ noſtrâ, quæ pro nobis faciant, videris. Sive igitur plectere vis hunc, me vicario ad ſupplicium accepto, patri eum remitte. Sive ad ſervitium addicere mavis, ego tuis miniſteriis magis ſum idoneus, & ad utrumvis, ut vides, magis paratus,

CAPUT XLV.

VERS. 5. *Propter vitam* ſive ſalutem veſtram *miſit me Deus ante vos*: nempe ut eſſet, qui vobis in hac fame victum ſubminiſtraret. Deus videlicet finem & eventum optimum elicuit ex peſſimo facto. Deo itaque totum negocium imputat & adſcribit, infra verſ. 8. *Non vos*, ait, *miſiſtis me huc, ſed Deus*, Ad eumdem ferè modum de

Servatore Apoſtolus Petrus, *quòd eum definito conſilio & præcognitione Dei deditum Iudæi acceperint, & cruci affixum interemerint*, Act.11,23. Et præbet aliàs Ioſephus typum Chriſti. Ioſephum vendiderunt fratres, & id fieri permiſit Deus, ut eſſet, à quo vita eorum, qui innoxium vendiderant, pluriumque aliorum, conſervaretur. Quod illi agebant conſilio pravo, hoc Deus permiſit conſilio, ut ita dicam, & eventu bono. Ita Iudæi Chriſtum interemerunt, idq; permiſit Deus; & quum ab æterno præcognoviſſet, Iudæos ad interimendum Chriſtum promtos fore, decrevit hoc permittere, ut per ipſum ab æternâ morte, non modò qui morti addixerant, ſed reliqui quoque mortales redimerentur.

Vers. 24. *Ne iraſcamini* vel commoveamini *in viâ*, Ne rixemini propter me venditum, dum fortè alij ſe excuſare, & in alios facti culpam reijcere volent. Non moveatur ea quæſtio, neque ſit cauſſa rixæ inter vos, aut diſſidij. Quod factum eſt, infectum reddi nequit. Quin, quod factum eſt, in meam & veſtram ſalutem ceſſit. Veneramini itaque potiùs Dei providentiam, & vobis & mihi iſthoc pacto conſulentis.

Vers. 20. *Non parcat oculus veſter vaſis veſtris*, id eſt, inſtrumento domeſtico & ſupellectili. Etiamſi talia vobiſcum aſportare nequeatis, nihil refert: contemnite modò & relinquite: *quia omnes opes Aegypti veſtræ erunt.* Vulgatus ſenſum contrarium expreſſit: *nec dimittatis quicquam de ſupellectili veſtrâ.*

Vers. 26. *Et debilitatum eſt cor ejus:* ita Pagninus. *Diſſolutum eſt*, Munſterus. Tremellius: *Defecit animus ejus.* Sunt exempla, homines inopinato gaudio ita fuiſſe obrutos, ut exſpirarint. Narratur de duabus mulierculis

lis Romanis, quum poſt cladem Cannenſem rumor percrebuiſſet de earum filijs occiſis, & hi nihilominus poſtea in conſpectum vivi venirent, utramque exſpiraſſe. Quod ſi factum eſt, propter nimiam dilatationem cordis & diffuſionem ſpirituum vitalium factum eſt. Cæterùm non eſt ſimile ei, quod hìc occurrit. Nondum enim ullum gaudium erat in animo Iacobi, *quia non credebat eis*, filijs ſcilicet ſuis, Ioſephum vivum & in Aegypto principem memorantibus. Potiùs, quum audiſſet nominari Ioſephum, & addi quòd viveret, & hoc quidem verum eſſe percuperet, interim de morte ejus hactenus certus ſibi viſus credere nullo modo poſſet, פג לבו remiſit, ceſſavit cor ejus, id eſt, motus & pulſus cordis præ ſtupore quaſi obriguit, ob renovatam ſcilicet memoriam filij unicè cari, & ſpem de vitâ ejus fallaciter, ut ſibi imaginabatur, factam. Remotius eſt ab Hebræo, quod reddidit Vulgatus, *Quo audito, Iacob quaſi de gravi ſomno evigilans, tamen non credebat eis*. Onkelos ut metaphoricum accepit, *Et erant verba dubia in corde ejus*, q. d. hæſitavit, vacillavit cor ejus in fide verbis adhibendâ. Sic ſanè Tigurini *Vacillabat autem cor ejus*.

VERS. 27. Vbi verò non modò verba & per circumſtantias narrari omnia audiret, ſed etiam rerum argumenta coràm intueretur, *plauſtra* videlicet, ſplendida ſine dubio, & magnificentiæ principis congrua, *quæ miſerat Ioſeph ad deportandum eum*, tum demum *revixit ſpiritus Iacobi*. Hoc *revixit* opponitur priori *defecit*. Primùm defecit ejus animus, ipſeque quaſi exanimis obtorpuit; poſtea ad ſeſe rediit. Onkelos *requievit Spiritus ſanctus ſuper Iacobum*. Ionathan: *Spiritus propheticæ*. Raſchi. שכינה *divinitas*. Volunt enim Hebræi, Spiritum

 pro-

pheticum in triſtibus, melancholicis & per mœrorem torpidis non eſſe, ſed tantùm in lætis & alacribus. Iacobum igitur, ex quo mortem Ioſephi lugere cœperit ſpiritu prophetico privatum, nunc eo denuò potiri. Sed hæc Iudaica ſunt, id eſt, dicuntur & probari nequeunt.

CAPUT XLVI.

Vers. 3. *Ne timeas deſcendere in Aegyptum.* Omninò opus erat confirmatione divinâ, quum Iacob aliàs potuiſſet abhorrere ab Aegypto, gnarus, terram Palæſtinam, in quâ eſſet, & non Aegyptum, ad quam iret, ſibi & poſteris promiſſam.

Vers. 4. *Et ego inde adducam te revertentem*, ſcilicet faciam, ut in poſteris tuis adſcendas. Nam Iacob nunquam rediit in Palæſtinam, licet funus ejus, quod tamen non erat Iacob, eò ſit relatum.

Vers. 7. *Filiæ ejus*, id eſt, Dina, & nurus. Aliàs unica erat Dina. Quamquam enallage quoque eſſe poteſt.

Vers. 15, Et deinceps occurrunt nonnulla circa numeros obſervanda. Recenſentur primùm filij & nepotes, qui Iacobo è Leâ prognati, & tandem concluditur, *Omnes animæ, filij ejus & filiæ* (eſt enallage numeri: unica enim erat & commemoratur filia Dina) *ejus triginta tres.* Reſpicere oportet ad verſum ſuperiorem octavum, ubi argumentum recenſionis, quæ inſtituenda erat, tale præmittitur: *Hæc ſunt nomina Iſraëlitarum venientium in Aegyptum, Iacob & filij ejus.* Verba itaque verſus hujus 15 ita ſunt accipienda: omnes animæ, filij ejus unà cum ipſo, triginta tres. Quando autem v. 26 dicitur, *Omnes animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Iacobo in Aegyptum,*

egreſſæ

egreſſæ è femore ejus, exceptis uxoribus filiorum Iacobi, omnes, inquam, *animæ ſexaginta ſex* erant; ab hoc numero manifeſtò excluditur Iacob: dicuntur enim numerati, qui egreſſi è femore Iacobi. Neque Ioſeph cum duobus filijs eo comprehenditur, nam unà cum Iacobo Aegyptum ingreſſi non erant. Hinc igitur planus eſt verſus, qui ſequitur: *Filij autem Ioſephi, qui editi ſunt ei in Aegypto, animæ duæ. Omnes animæ domus* ſive familiæ *Iacobi, quæ ingreſſa eſt in Aegyptum, ſeptuaginta.* Nempe ſi prioribus ſexaginta ſex addantur ipſe Iacob, qui caput erat domus, & Ioſeph cum duobus filijs, exſurgit numerus ſeptuagenarius. Atque rectè dicitur, fuiſſe animas domus Iacob, quæ Aegyptum ingreſſa, ſeptuaginta: ad hanc enim domum utique pertinebat Ioſeph, licet ipſe unà cum patre ſuo in Aegyptum non veniſſet, filijque ejus non Aegyptum ingreſſi ſed in eâ nati eſſent. Solet tamen non raro Scriptura, quod plurimis convenit, imò omnibus, pauciſſimis tantùm exceptis, quaſi omnibus conveniret, generaliter enuntiare. Quâ ratione Moſes, Deut. x, v. ult. *Cum ſeptuaginta*, ait, *animabus deſcenderunt patres tui in Aegyptum*: ubi exceptio illorum, qui non deſcenderant, & tamen ad eamdem familiam pertinebant, non attenditur. Ita Exodi 1, 5: *Erant omnes animæ* ſive homines, *egreſſi è femore Iacobi, ſeptuaginta animæ*, connumerato ſcilicet ipſo Iacobo, è cujus femore illi egreſſi. Iuxta Hebræum quidem fontem, cui conſentit Ioſephus, omnia plana ſunt. Sed turbat locus in oratione Stephani Act. VII, 14: item quæ hodie exſtat ſub nomine LXX interpretum, verſio Græca, ubi numerus eſt *ſeptuaginta quinq.*: uti etiam Exodi 1, 5. At Deut. x, 22 ita eſt, ut in Hebræo. ἐν ἑβδομήκοντα ψυχαῖς κατέβη-

Antiq. l. 1. cap. 4.

σαν οἱ πατέρες σου εἰς αἴγυπτον. Huic autem noſtro loco adijciunt, ne quid deſit, nomina trium nepotum & duorum pronepotum Ioſephi poſt verſum xx. *Fuerunt autem filij Manaſſe, quos peperit ei concubina Syra, Machir. Et Machir genuit Galaad. Filij autem Ephraim fratris Manaſſe, Sutalaam & Taam: filij verò Sutalaam, Edem.* Nomina hæc pleraque petere potuerunt è prioris Chronic. cap. VII. Quid igitur? num verſionem græcam, ſanè corruptam, præferemus fontibus Hebræis? minimè verò. Quia nepotes Ioſephi nati eſſe non poterant, quando in Aegyptum venit pater ejus Iacob. Nondum enim niſi novennium extra carcerem in dignitate & libertate egerat. Supererant videlicet adhuc quinque anni ſterilitatis, Gen. XLV, 6. Ergo tranſacti erant ſeptem anni fertiles, & duo ſteriles. Quòd ſi tres hi Ioſephi nepotes & duo pronepotes recenſeri debuerunt, quia nati fuerunt, dum adhuc in vivis eſſet Iacobus (quod tamen effugium ſuccedere nequit, quum Iacob in Aegypto non niſi ſeptemdecim annos exegerit, Gen. XLVII, 28.) aut dum in vivis eſſet ipſe Ioſephus, ut nonnulli volunt, multò profectò plures interea temporis nati ex eadem cauſsâ recenſeri debuiſſent. Recenſentur quidem v. 12 duo nepotes Iudæ, filij Phares, nempe Heſron & Hamul, nondum nati quum Iacob in Aegyptum deſcenderet, ut colligitur ex Geneſ. XXXIX. Quare autem recenſeantur, cauſſa eſt, quòd ſuppleturi eſſent locum Her & Onan mortuorum in terrâ Canaan. Cujus rei non obſcurum indicium præbet textus ipſe, in hunc modum conceptus: *Mortuus autem erat Her & Onan in terrâ Canaan: ſed erant filij Phares, Heſron & Hamul.* Hi itaque ſuppleturi defunctorum locum, & in vicem ipſorum

rum principes familiarum futuri. Quam itidem ob cauſſam decem filij Benjaminis memorantur, qui tamen omnes nati eſſe non poterant, quum in Aegyptum ipſe deſcenderet. Recenſentur itaque, quòd ſinguli in ſuâ tribu capita familiarum futuri. Præterea numerus *quatuordecim animarum* è Rahele procreatarum, qui collectus habetur v. 22, excludit quinque illos ſuperadditos. Quamquam Græca mendum mendo cumulant, & *octodecim* legunt. Iuxta Hebræam veritatem eſſe debent *quatuordecim*: juxta ipſam verò Græcam lectionem, quæ, ut diximus, quinque ſuperaddidit, debebant eſſe *novemdecim*. Rurſus v. 27: *Filij Joſeph, qui nati ſunt ei in Aegypto*, ψυχαὶ ἐννέα, *animæ novem*. At ſi maximè quinque iſti nepotes & pronepotes adijciantur, non ſunt niſi ſeptem. Sic paſſim in verſione græcâ, ut hodie exſtat, errores in numeris occurrunt. Num igitur quum è mendo undecumque orto *ſeptuaginta quinque* in græcis exemplaribus legerentur, Lucas, qui græcè ſcriberet, quòd res tanti non eſſet, recepto textu uti, nec immutare quidquam voluit, ne quem turbaret? *Non debuit*, ait Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis in Geneſin, *ſanctus Lucas in gentes Actuum Apoſtolorum volumen emittens contrarium aliquid ſcribere adverſus eam ſcripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata.* Aut num in Actis incuria librariorum ex ἑβδομήκοντα πάντες fecit ἑβδομήκοντα πέντε, quæ apud Bezam conjectura eſt Cornelij Bertrami: & quum ea lectio in plures codices derivata paullatim obtinuiſſet, alij ad hunc locum jam depravatum, Geneſeos locum exigere & ex eo emendare voluerunt? Non videtur id de nihilo eſſe. Quod ſi verò contigit, ante ætatem Hieronymi & Auguſtini contigit, Vterque

que enim ſuis in Geneſin Quæſtionibus lectionem, qualis cùm in Actis tùm in græcâ verſione hodie eſt, agnoſcit, & in explicandâ deſudat. Adigit autem nos vel invitos locus iſte in Actis, cujus alij nonnulli non multùm ſunt diſſimiles, ut fateri neceſſe habeamus, in numerorum notis, ut & in nominibus proprijs ſacrarum literarum errata committi potuiſſe, non quidem ipſorum auctorum, quorum mentem & calamum Spiritus ſanctus gubernavit, culpâ, ſed exſcriptorum & librariorum vel oſcitantiâ, vel inſcitiâ, vel audaciâ. Qualia tamen παροράματα nec doctrinæ Chriſtianæ quidquam derogent, quum ipſa dogmata & capita religionis non concernant; nec fidem hiſtoriæ labefactent, quum ab eruditis ex aliorum locorum collatione animadverti & emendari poſſint. Vtut igitur in libros ſacros, quod nomina propria & notas numerorum attinet, pauca menda irrepſerint, nihilo tamen minùs illis tota ſalutis doctrina certiſſimè & veriſſimè continetur: eam enim hoc medio, nempe per ſcripturas, Deus peculiari providentiâ Eccleſiæ ſuæ proſpiciens hactenus conſervatam voluit, & porrò conſervabit, uſque ad finem ſeculorum.

Vers. 34. *Abominatio eſt Aegyptiis omnis paſtor gregis*, h. e. Aegyptij *deteſtantur*, ut reddidit Vulgatus, averſantur, faſtidiunt quoſcumque paſtores. Quæritur, quænam hujus rei cauſſa? Reſpondet Raſchi, *quod pecudes illis* Aegyptijs *numina*. Onkelos & Ionathan capitis ſuperioris XLIII verſus 32 (*non poſſunt Aegyptij comedere cum Hebræis panem, quia abominatio Aegyptijs eſt*) poſtrema verba uterque quaſi quodam conſenſu reddiderunt, *Quia pecus, quod Aegyptij colunt, Hebræi ſive Iudæi comedunt.*

Hoc

Hoc ipſum paſtoribus quoque applicari ſolet. Paſtores mactant & manducant pecudes, quas adorant Aegyptij. Ergo paſtores abominatio Aegyptijs. Et hanc ſententiam interpretes communiter ſequuntur. Addit Aben Ezra, *Aegyptios temporibus illis nullas prorſus comediſſe carnes:* quin *Indos;* meridionales ſine dubio intelligit, id eſt, Aethiopes, *ne lacte quidem aut ullo, quod ab animante ſenſibus prædito ſumtum ſit, veſci in hunc uſque diem.* Sed iſta nullam merentur fidem. Neque prior expoſitio, quamvis paſſiva; firmo talo ſubſiſtit. A nonnullis quidem animalibus Aegyptij abſtinebant. Diodorus Si- lib.1.c.83.
culus in veneratione apud eos fuiſſe ſcribit *feles; ichneumones, canes, accipitres, ibides, lupos, crocodilos & alia nonnulla.* Sed talium carnes ne à reliquis quidem mortalibus in cibum adſumi ſolent. Neque omnes ab ijsdem, ſed alij ab alijs abſtinuere, ut ex eodem diſcere licet; & item ex Herodoto, juxta quem *Mendeſij capris abſtinentes, immo-* lib. 2.
lant oves: Thebani verò *arietes, quos ſacroſanctos habent, non mactant.* Pomponius Mela: *Aegyptij colunt effigies mul-* lib.1.c.9.
torum animalium; atque ipſa magis animalia; ſed alij alia. Univerſim itaque de omnibus Aegyptijs verum non fuerit, quod ſcribit Iuvenalis:

——lanatis animalibus abſtinet omnis Sat.15.
Menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Si tamen Plutarcho credimus, *ſoli omnium Aegyptiorum* l. de Iſide & Oſiride.
Lycopolitæ ovem edunt: quia idem λύκος ſive lupus, quem pro deo habent, facititer. Iam de eſu carnium Herodotus: *Sa-* lib.2.
cerdotum ſingulis quotidie cibi ſacri cocti præſto ſunt, & carnis bubulæ & anſerinæ ſatis abundeq́. Rurſus: Boves mares eosdemq́; mundos, ac vitulos univerſi Aegyptij immolant: at fœminas eis immolare non licet, utpote Iſidi conſecratas. — Bovesq́

G *fœmi-*

fœminas itidem Aegyptij venerantur ex omnibus pecudibus longè plurimùm: eoq́ nemo Aegyptius vel Aegyptia Græci viri aut os ſuaviaretur, aut cultro, vel veru, vel olla uteretur, aut purâ bovis carne Græco cultro inciſâ veſceretur. Si hæc vera ſunt, (& equidem Herodoti inter Aegyptios diu verſati fidem in dubium non voco,) quod de Hebræis dicitur, de Græcis itidem dici potuiſſet, *Illicitum eſt Aegyptiis comedere cum Græcis, & profanum putant*, abominationem putant *hujusmodi convivium.* Nondum igitur habemus cauſſam, quare Aegyptijs peculiariter paſtores exoſi fuerint. Quin ne ipſis quidem pecora & paſtores defuiſſe ex ſequente Moſis capite conſtat. *Si fuerint*, ait Pharao Ioſepho, *inter fratres tuos viri ſtrenui, conſtitue illos magiſtros pecorum meorum.* Ipſi porrò Aegyptij *equos, oves, boves & aſinos ſuos* alimentis à Ioſepho acceptis commutabant. Vide verſ. 6 & 17. Quòd ſi paſtores Hebræos ob cauſſam, quæ adlata fuit, nempe quòd ederent, quæ ipſi colerent, averſarentur; ſaltim eo nomine ſuæ ipſius gentis paſtores, quos ſimili cum alijs ſuperſtitione imbutos fuiſſe certum eſt, odiſſe non poterant. At Moſes diſertè: *Abominatio eſt Aegyptijs OMNIS paſtor gregis.* Num igitur Aegyptij ſuperbiæ dediti & elegantiæ ſtudioſi, paſtores, ut homines viles & immundos, averſati ſunt? Huc

l. 9 in Gen. cap. 18. inclinans Rupertus Tuitienſis, *Superbiunt*, inquit, *in equis & curribus, plus cæteris gentibus; & ob hoc humile paſtorum opus, velut ignominiam, deſpiciunt & deteſtantur.* Adjuvat conjecturam Herodotus, qui à ſubulcis maximè aver-

lib. 1. ſos fuiſſe teſtatur. *Nemo*, ait, *aut filiam cuiquam eorum nuptum dare vult, aut cujuſpiam eorum filiam in matrimonium accipere: ſed ipſi inter ſe ſubulci dant accipiuntq́ filias.* Nempe quia immundæ pecudis curam habent, & proinde

ipſi

ipſi præ cæteris paſtoribus immundi. Sed videtur adhuc alia ſubeſſe cauſſa. Manethon Sebenytes, ſacerdos Aegyptius, regnante Ptolemæo Philadelpho hiſtoriam gentis ſuæ antiquiſſimis monumentis promtam deſcripſit. Is memorat, ex partibus orientalibus in Aegyptum veniſſe homines ignobiles, qui Aegypti provincias expugnatas occuparint, urbes everterint, templa exuſſerint, tandem & unum ex ſe regem fecerint, cui nomen Salatis. Hos paſtores fuiſſe, & multis calamitatibus Aegyptios afflixiſſe. Hæc è Manethonis hiſtoriâ Flavius Ioſephus: qui tamen ad Hebræos & Iacobi poſteros perperam trahit, quum notum ſit, in hos iſta cadere non poſſe. Et fragmenta Manethonis, quæ ex Africano publicavit Ioſephus Scaliger, clarè docent, diu ante deſcenſum Iacobi paſtores illos Aegyptum invaſiſſe, & regnum in eâ conſtituiſſe. Interim novam cauſſam, quare Aegyptijs odio & abominationi fuerint paſtores omnes, à quibus ſcilicet labori, frigori, æſtui adſuetis ipſi molles & delicati, priorumque memores, ſibi metuerent, videmus. Paſtores autem, dum commercio & conſuetudine cæterorum civium excluduntur, quaſi efferatos novas magis odio cauſſas indies ſuppeditaſſe, quàm ut in gratiâ eſſent, ſtuduiſſe vero ſimile eſt. Certè Bucolia, loca inter Nili paludes paſtoribus deſtinata, latrociniis ſemper infamia. Viſe primum Aethiopicorum Heliodori. Hieronymus ſub finem Vitæ Hilarionis: *Loca, quæ vocantur Bucolia: nullus ibi Chriſtianus, ſed barbara tantum & ferox natio.* Ab his ipſis Bucolis motus in Aegypto excitatus fuit, imperante Antonino Philoſopho, ut è Dione refert Xiphilinus.

lib. 1. contra Apionem.

CAPVT XLVII.

VERS. 2. *Et cepit quinq; viros de extremitate fratrum ſuorum*, id eſt, tales, qui abjectiore eſſent ſpecie & perſonâ, ne vel metueret ab ijs ſibi Pharao; vel adſumeret ad miniſteria aulica vel bellica. Nolebat enim Ioſeph, eos mutare genus vitæ, cui hactenus adſueverant. Cæterùm מקצה ſignificat non ſolùm *de extremitate* ſive parte viliore, ſed etiam præſtantiore. Exemplum occurrit Iudic. XIIX, 2. Onkelos itaque ſimpliciùs interpretatur, *Partem fratrum ſuorum tulit*. Quem ſequuntur Tigurini, Mercerus & Tremellius. *De extremitate* igitur idem, quod *è medio, de ſummâ, de numero*. Et tâlis uſus vocis Iezech. XXXIII, 2.

VERS. 4. *Quia non eſt paſcuum pecudibus*. In Aegypto adhuc erant paſcua, juxta ripas videlicet Nili: quæ non fuiſſent ibi annis fertilibus & exundante Nilo. Verùm, propter hoc ipſum, quod ibi erant paſcua, non facta erat ſementis, nec enata ſeges. Auguſtinus quæſtione 160 in Geneſin: *Sicut perhibetur ab iis, qui loca ſciunt, in multis Aegypti paludibus poterant paſcua non deeſſe, etiam quum fames eſſet frumentorum, quæ ſolent Nili fluminis inundatione provenire. Magis enim dicuntur paludes illæ feracia paſcua gignere, quando aqua Nili minùs excreſcit.*

VERS. 9. Iacob *peregrinationem* vocat vitam ſuam, cùm generali ratione quia videlicet omnis hominum vita iter eſt, in viâ ſumus omnes, & nemo ſibi in his terris polliceri poteſt ſtabile domicilium; *vitaq; mancupio nulli datur, omnibus uſu*: tùm propter ſpecialem ſuam & ſuorum peregrinationem, quia Abraham, Iſaac & Iacob nullibi fixas habuerunt ſedes, ſed ſubinde domicilia de loco in locum tranſtulerunt.

VERS.

VERS. 14. *Collegit Joſeph omnem pecuniam, quæ erat in Aegypto, & in terrâ Canaan, & intulit in domum Pharaonis*, in ærarium videlicet Principis ſui. Res itaque Regis, à quo tanta ſibi credita erant, ſincerè & fideliter adminiſtravit; nihil intervertit, nihil emendicavit.

VERS. 19. *Vt quid moriemur ante oculos tuos? Etiam nos, etiam terram noſtram, eme nos & terram noſtram pro pane*. Ita Pagninus, quem ſequitur Tremellius. Munſterus autem & Vatablus cum Tigurinis: *Quare moriemur ante oculos tuos, cùm nos, tùm terra noſtra*, ſive *agri noſtri*? Nempe mortua eſt terra, quando deſerta & vaſta ſolitas ſegetes non producit. Subijciunt itaque, *Præbe ſemen, ut vivamus & non moriamur, & terra non deſoletur.* Et paullò pòſt ipſe Ioſeph: *Ecce vobis ſemen, ut ſeratis humum. Et quod erit in proventibus, dabitis quintam ejus partem Pharaoni: quatuor autem partes erunt veſtræ ad ſementem agri & ad cibum veſtrum.* Hoc factum eſt vergente jam ad finem ſterilitate, & imminente meliore rerum facie, priſtinaque fertilitate. Norant è prædictionibus Ioſephi, à ſeptimo famis anno proximum fertilem fore. Interim deerant ſemina, quæ terræ mandarent. Hæc igitur à Ioſepho petunt & accipiunt. Et fuit moderatio Ioſephi, quòd quum & ipſi agri Pharaonis jam eſſent, & idem ſementem præbuiſſet, nihilominus quintam ſolùm partem proventuum Regi vendicaret, quum ſtricto jure dimidium aut plus etiam capere potuiſſet: hoc ipſo exemplum omnibus, qui populis præſunt, præbens, ut moderatè eos & clementer tractent; tondeant, non deglubant. Id quoque æquitati conſentaneum, quòd *agros præſidium* ſive miniſtrorum regiorum non emit, ſed *portionem* ſive demenſum, quod eis alendis ſufficeret, tam-

quam ſtipendium, nullo alio interveniente precio, præbuit. *Idcirco non vendiderunt illi agros ſuos*, verſ. 22. Quum autem acquiſiviſſet *omnem terram* ſive omnes agros *Aegypti Pharaoni, tranſtulit populum in urbes ab una extremitate limitis Aegypti uſq; ad aliam extremitatem ejus*, v. 21. Ita ſedes priſtinas mutantibus & aliò migrantibus populis evidenter patuit, neminem in Aegypto propriam aliquam terram poſſidere, ſed ejus ſolummodo uſumfructum habere, quam benignitate Regis acceperit. LXX & Vulgatus hoc non exprimunt.

. Vers. 29. *Pone manum tuam ſub femore meo.* Hic modus jurandi ſaltim adhuc ſemel occurrit cap. XXIV, 2. Fortè autem proprius fuit familiæ Abrahami: aut tum demum uſurpatus, quando majores à minoribus, heri à ſervis, parentes à liberis juramenta exigebant. Ad priorem ſententiam vergit Raſchi, qui manum femori ſuppoſitam circumciſionis gratiâ, ut ejus & fœderis cum Deo initi ratio haberetur, autumat: ad poſteriorem Aben Ezra. Vide utrumque in v. 2, cap. XXIV. Aben Ezræ verba adjicio: *Arbitror ipſe ejus temporis morem fuiſſe, ut eo pacto jurarent, poſitâ videlicet manu ſub femur ejus, qui dominus ac ſuperior eſſet, perinde ac diceret dominus: Si tu ſub poteſtate mea es, pone manum tuam ſub femur aut ſub coxam meam. Ac dominus ipſe ſedere ſolebat, poſitâ coxâ ſuper manum jurantis, qui quaſi dicebat: Ecce manus mea ſub coxa tuâ, fateor me tibi debere, & promtus ſum, ut tuis obſequar mandatis. Eo more hodie quoq; quædam regiones utuntur, ſcilicet Indiæ.* Hæc Aben Ezra. Eſt autem expoſitio Iarchij religioſior, hujus ſimplicior. Ad illam accedit quoque Theodoretus Quæſt. LXXIII in Geneſin, *Quum in ſemine*, inquit, *tum benedictionem tum promiſſionem bonorum ſuſcepiſſet,*

illic

illic ſervum apponere manum juſſit, ubi fidei ſignum recepit. Credens enim promiſsionibus divinis, accepit ſignaculum circumciſionis. Reliqui interpretes Chriſtiani plerique ad ipſum ſemen benedictum, Chriſtum videlicet è patriarchis proditurum, referunt.

Et facies mecum miſericordiam & veritatem. Benignè promittes, & fideliter ſive veraciter præſtabis. Ita Deus ipſe miſericorditer promittit, non ex debito ſed ex gratiâ: quod autem promiſit, ex immobili ſuá veracitate certiſſimè adimplet.

VERS. 30. *Quum dormiero cum patribus meis, tolles me ex Aegypto, & ſepelies me in ſepulcro eorum. Non*, ait Theodoretus, *quòd de ſepulturá valde ſollicitus eſſet, ut quidam putarunt: ſed ut familiam ſuam conſolaretur, & doceret, Dominum Deum traducturum illos omnes ex Aegypto, & daturum illis terram promiſſam.* Naturæ aliàs conſonum eſt deſiderium, ut cupias, corpus tuum vitâ functum oſſibus majorum, eorumq; quos amaveris, conjungi. Hoc autem non tam reſpexiſſe videtur, quàm teſtatum iviſſe fiduciam ſuam de adimplendis divinis promiſſionibus. Quæſt 107 in Geneſ.

VERS. 31. *Incurvavit ſe Iſraël,* adoravit, *ad caput lecti.* Ita omnes tres Chaldæi; & cum ijs Vulgatus latinus. Quandoquidem Iacob cariſſimum ſuum filium tamquam è mortuis redivivum præter ſpem & opinionem recuperaverat, principem in Aegypto viderat, & nunc etiam de funere ſuo Palæſtinæ importando juratam promiſſionem ab eo acceperat; ideo Deum veneratus & pro tantis beneficijs gratias agens, quamvis ſenio infirmus (nondum enim, propriè loquendo, ægrotabat, qui ſequente demum capite ægrotare Ioſepho nunciatur) & in lecto cubans, ad cervical ſive caput lecti con-

verſus in modum adorantis ſe compoſuit. Sic 1 Reg. 1,47. *David adoravit ſuper lectum*, על־המשכב Pro quo hic eſt על־ראש המטה Hæc ſimplex & rei ipſi conveniens eſt interpretatio, à quâ aliquantulum abire videntur LXX, qui pro מִטָּה legerunt מַטֶּה verterunt προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *adoravit ſuper faſtigium baculi ſui*, id eſt, baculo ſive ſcipione ſuo, utpote decrepitus ſenex, innixus. Hebræa, ſi punctis nudentur, utrovis modo legi & accipi poſſunt. Quin nec in re ipsâ magnum aut alicujus momenti eſt diſcrimen. Si dicamus, Iacobum lecto non incubuiſſe, (neque enim verè ægrotaſſe paullò antè monuimus) ſed adſediſſe, & ſuæ ſibi in tanto ſenio infirmitatis conſcium ad caput lectuli ſive ἀνακλιντηρίου ſui locum commodum, in quo procumbens Deum adoraret, habuiſſe; utrumque potuit contigiſſe, nempe ut baculo innixus ad caput ſpondæ ſeſe incurvaverit. Quum igitur in re diſcrepantia eſſet nullius momenti, aut certe talis, quæ levi negocio poſſit conciliari, auctor epiſtolæ ad Hebræos, aut, ſi quidem Hebraicè ſcripta eſt, qui eam convertit, cauſſam non vidit, quare receptam apud Græcos lectionem admittere & ſequi non deberet, quando hujus rei mentionem facere voluit cap. XI, 21. Et ſi uſpiam locū habet obſervatio Hieronymi, hîc certè

Quæſt. Heb. in Gen. habebit, propter exiguitatem videlicet diſcrepantiæ. *Hoc*, ait Hieronymus, *generaliter obſervandum, quòd, ubicumque ſanctì Apoſtoli aut Apoſtolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque teſtimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata.* Codices latinos, quibus uſus fuit Auguſtinus, græcam lectionem, duplici tamen modo, expreſſiſſe teſtis eſt

Quæſt. 162. in Gen. ipſe. Verba ſunt: *Quod habent latini codices*, Et adoravit ſuper caput virgæ ejus, *nonnulli codices emendatiùs habent*,

Adora-

Adoravit ſuper caput virgæ ſuæ, *vel* in capite virgæ ſuæ,
ſive in cacumine, *vel* ſuper cacumen. *Fallit enim eos ver-
bum græcum, quod eiſdem literis ſcribitur, ſive EIVS, ſive SVAE.*
Agnoſcit autem, ſi *ſuæ* legamus, *facilè intelligi, ſenem, qui
virgam ferebat eo more, quo illa ætas baculum ſolet, ut ſe incli-
navit ad Deum adorandum, id utiq; feciſſe ſuper cacumen virgæ
ſuæ, quam ſic ferebat, ut ſuper eam caput inclinando adoraret
Deum.* At, ſi legatur *EIVS, id eſt, filij Ioſephi*, difficiliorem
eſſe interpretationem. *An fortè*, inquit, *tulerat ab eo vir-
gam, quando ei jurabat idem filius, & dum eam tenet, poſt ver-
ba jurantis, nondum redditâ, mox adoravit Deum? Non enim
pudebat eum ferre tantiſper inſigne poteſtatis filij ſui, ubi figura
magnæ rei futuræ præſignabatur.* Intelligit ſine dubio, Io-
ſephum, ut alijs rebus multis, ita quoque inſigni pote-
ſtatis, ſi quod geſtavit, Chriſtum præfiguraſſe. Non vult
autem à Iacobo alium adoratum, quàm Deum. Græci
verò interpretes Ioſepho incurvatione iſtâ honorem ha-
bitum exiſtimant. Chryſoſtomus: *Vide ſenem, decrepi-* Hom. 66
tum, patriarcham, adoratione honorem Ioſephi declarare, & in in Gen.
ipsâ implere viſionis eventum. Theodoretus: *Iſraël, quum* Quæſt 108
eſſet ſenex & infirmus, decumbebat in lecto: ſed ubi filium ad- in Gen.
*ventare audivit, ſurgens ſedebat & baculo innitebatur, dextrâ
apprehendens ſummitatem ejus, convertens vultum verſus fili-
um, promiſſione de ſepeliendo factâ, adoravit inclinans caput ad
virgam. Et ſomnium Joſephi completum eſt.* Procopius Ga-
zæus novam adfert expoſitionem: *Adoravit inſignia regni,* Comm.
quod adminiſtrabat Joſephus. Sed quòd ſceptrum ille regi- in Gen.
um geſtaverit, non eſt veroſimile. Quin aliquam vir-
gam, tamquam inſigne poteſtatis geſſiſſe, itidem ſine fun-
damento ſumitur. Præterea qui ſic accipiunt, vocabu-
lum ἐπὶ ſine interpretatione & applicatione prætereunt.

Vulgatus tamen in epiſtolâ ad Hebræos eo ſenſu vertit: *adoravit faſtigium virgæ ejus*, id eſt, Ioſephi. Sed quid hoc ad fidem Iacobi, quæ eo loco prædicatur? Auctor potiùs hiſce verbis ex antiquâ hiſtoriâ productis in memoriam Hebræis, quibus ſcribebat, revocare voluit, quòd Iacobus fide de cunctis promiſſionibus divinis certus Deo adorationis cultum exhibuerit. Et certè in expoſitionem iſtam alteram invehitur Hieronymus. *In hoc*, inquit, *loco quidam fruſtra ſimulant adoraſſe Iacob ſummitatem ſceptri Ioſeph, quod videlicet honorans filium, poteſtatem ejus adoraverit; quum in Hebræo multò aliter legatur: Et adoravit*, inquit, *Iſrael ad caput lectuli: quòd ſcilicet, poſtquam ei juraverat filius, ſecurus de petitione, quam rogaverat, adoraret Deum contra caput lectuli ſui. Sanctus quippe & Deo deditus vir, oppreſſus ſenectute, ſic habebat lectulum poſitum, ut ipſe jacentis habitus abſque difficultate ullâ ad orationem eſſet paratus.* In eandem ſententiam Auguſtinus, *In Hebræo*, ait, *facillima hujus quæſtionis abſolutio eſſe dicitur, ubi ſcriptum perhibetur, Et adoravit Iſraël ad caput lecti: in quo utique ſenex jacebat; & ſic poſitum habebat, ut in eo ſine labore, quando vellet, oraret. Nec ideo tamen, quod LXX interpretati ſunt, nullum vel levem ſenſum habere putandum eſt.* Et nos paullò antè, quomodo Hebræo conveniat, oſtendebamus. Res eſt, Iacobum certum de exuvijs ſuis ſepulcro majorum inferendis, & de cæteris divinis promiſſionibus, Deum veneratum eſſe & adoraſſe. Num id fecerit inclinatus ad caput lectuli an ad faſtigium ſcipionis, parum intereſt. Quamquam utrumque feciſſe, nihil prohibet. Et hæc de hoc loco, cum propter ipſum, tum propter alterum, qui eſt in epiſtolâ ad Hebræos, dicta ſunto.

Quæſt. Heb. in Gen.

CA-

CAPVT XLIIX.

VERS. 3. *Luz in terrâ Canaan.* Hæc deinde dicta eſt Bethel. Vide ſupra c.XXIIX, 19, &c. c.XXXV, 6.

VERS. 5. *Duo filij tui, qui nati ſunt tibi in terrâ Aegypti, mei erunt.* Hic duos filios Ioſephi Iacob adoptat, eoſque pari loco eſſe facit cum filijs ſuis, ut in hereditate herciſcundâ ex æquo partem accipiant & peculiares tribus conſtituant. Et ne exiſtimet, pari cum cæteris loco non fore, addit, *ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mei*, ut intelligat Ioſephus eos non infimo ſed præcipuo loco futuros. Ruben enim & Simeon erant nati uxore primariâ, erant quoque natu maximi, qui præ reliquis dignitate & honore ſolent pollere.

VERS. 6. *Liberi, quos genueris poſt eos, tui erunt.* q.d. Si præter hos alij tibi naſcantur filij, (quod an factum ſit, dicere nos non poſſumus, quum ſileat Scriptura,) illi non ambulabunt cum his duobus pari paſſu, neque conſtituent peculiares tribus, neque ſeorſim à fratribus hereditatis partem adibunt: ſed Manaſſi vel Ephraimo annumerabuntur, ſive ſub ijs comprehendentur. Hoc eſt, quod dicit, *De nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.*

VERS. 7. Difficulter intelligitur, quomodo hic verſus cum ſuperioribus cohæreat, niſi forte dicendum, quòd Iacobus adoptans filios Ioſephi, hoc ipſo voluerit honoratam memoriam demortuæ Rahelis, ut ſenſus ſit: Equidem Rahel mater tua & mea dilectiſſima uxor præproperè mortua eſt, quum potuiſſet plures mihi parere liberos. adopto itaque nunc ejus nepotes, filios tuos, & hos haberi volo, tamquam ex me & ipsâ Rahele nati eſſent. Et ſic in memoriam, honorem & ob amorem

Rahelis ſupplere voluit adoptione, quod minus habuit generatione.

Vers. 8. *Vidit Iſraël filios Ioſephi, & dixit, Qui ſunt iſti?* Non norat nepotes ſuos, tum quòd eos ab aliquot jam annis ipſe in terrâ Goſen habitans, Ioſepho interim in aulâ cum ſuis degente, non viderat; tum quod oculi ejus præ ſenio caligarent, ut eſt v. 10. *Quum autem* Ioſeph *admoviſſet eos illi, oſculatus eſt eos & amplexatus*, in ſignum videlicet tenerrimi, quo eos proſequeretur, adfectus. *In hunc modum*, ait Procopius, *& Chriſtus fideles apportavit ad Patrem, jusq; filiorum Dei ſumus adepti, & ſanctorum nominamur fratres, in patriarcharum chorum allecti. — Hi ſunt, qui nati ſunt ex Eccleſiâ gentium, ceu ex matre alienigenâ, & connumerantur ſancto generi ob dilectionem, quâ Pater complexus eſt Filium, ſicut Iacobus Ioſephum.*

Vers. 12. Deinde *abduxit eos Joſeph à genibus ejus*, quippe pectori avi, dum eos oſculatur & amplexatur, incubuerant. Ne igitur imbecilli ſeni moleſtiam creent, retrahit & abducit eos Ioſeph, & ad benedictionem recipiendam diſponit. Nempe capit Manaſſen primogenitum ſuum ſiniſtrâ, quæ obverſa erat dextræ Iacobi, & Ephraimum minorem natu dextrâ ſiniſtræ paternæ obverſâ; & hoc ideo, ut pater dexteram ſuam, quæ eſt ſignum fortitudinis, gloriæ, lætitiæ primogenito imponeret. Iacobus autem ſpiritu prophetico intelligens Ephraimi poſteros fortunatiores fore & potentiores, aliter agit, & brachijs decuſſatim ſive crucis in modum extenſis dextram Ephraimo, ſiniſtram Manaſſi imponit. שִׂכֵּל *Intelligere fecit manus ſuas*, id eſt, prudenter & ſolerter extendit ac diſpoſuit, & ipſas quoque quaſi futuri conſcias reddidit. Aben Ezra: *quaſi manus ejus intellige-*

telligerent, quid ipſe vellet facere. LXX, ἐναλλάξας τὰς χεῖρας, & hinc Vulgatus, *commutans manus*, ſenſum potiùs quàm verba exprimentes.

VERS. 16. *Angelus, qui eruit me ab omni malo, benedicat pueris iſtis.* Hunc locum allegare ſolent nonnulli, tamquam exemplum invocationis Angelorum. Quod ipſum, præter alios, fecit Bellarminus *libro primo de Sanctorum beatitudine, cap. 19.* Cæterùm Athanaſius oratione quartâ contra Arianos, & Cyrillus Theſauri ſermone vel Aſſertione XII, & Glaphyris in hunc locum, hoſque hic ſequutus Procopius Gazæus Angelum magni conſilij, id eſt, ipſum Dei filium intelligunt. Extra tamen negocium incarnationis & redemtionis noſtræ, quando videlicet non agitur de Filio Dei in carnem propter noſtram ſalutem mittendo aut miſſo, ſed, ut hic, de rebus longè alijs, de proſperitate videlicet uni & alteri homini conferendâ; in talibus, inquam, neſcio an tutum ſit Filium Dei angelum, id eſt, nuncium, legatum, ſive, quod idem eſt, miniſtrum dicere; & annon hoc ipſum ſit divinitati ejus detrahere. Sanè ut in rerum creatione, ſuſtentatione & gubernatione, ita quoque in conferendâ Ephraimo & Manaſſi felicitate non eſt nuncius aut miniſter, ſed unà cum Patre ſuo cauſſa princeps, ejuſdemque poteſtatis & majeſtatis. Malo itaque de Angelo propriè & ſimpliciter accepto intelligere: quemadmodum etiam ex hoc loco Chryſoſtomus pro- Hom. de
bat, Angelos piarum hominum curam gerere, & ad eo- Aſcenſ.
rum tutelam ubique ijs adeſſe; & Baſilius deducit, *ſingu-* 13. cont.
lis fidelibus Angelum adeſſe, ut quemdam pædagogum & paſto- Eunom.
rem ad vitam dirigendam, συνεῖναι ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἄγγελον, init.
οἷον παιδαγωγόν τινα, καὶ νομέα τὴν ζωὴν διευθύνοντα. Dico autem

tem, Iacobum non invocare Angelum, ſed deſiderare, optare, ut Angelus adoleſcentes iſtos tueatur & protegat. In contrarium David de hoſtibus ſuis, *Angelus Domini perſequatur eos*, pſal. xxxv, 6. Quis dicat, Angelum hìc à Davide invocari? Et tamen Davidis verba paria ſunt verbis Iacobi. Iſaac Iacobo benedicens, *Serviant*, inquit, *tibi populi, & incurvent ſe tibi nationes*, Gen. xxvII, 28. Num ita loquendo populos & nationes invocat? Votum igitur eſt, non invocatio. Nempe optat Iacob, Deum pueris iſtis benedicere, id eſt, benefacere; necnon

Heb.1.14. Angelos, qui *omnes ſpiritus ſunt miniſterio fungentes, & miniſterij cauſa emittuntur propter futuros heredes ſalutis*, itidem benefacere. Si dicas, *Deus te ſervet*; quod attinet concepta verba & ſenſum, quem ex ſe obtinent, non eſt invocatio Dei, ſed ſimplex votum. Interim non eſt negandum, quin homo pius, dum verba profert, mente Deum invocet, ut id, quod optatur, effectum dare velit. Sic itaque cum voto per verba prolato conjungitur invocatio mente facta. Sed, ſicut exempla evincunt, non eſt neceſſe, ut quos verbis optamus aliquid commodi vel emolumenti nobis vel alijs præſtare, eos ipſos mente invocemus. Dico itaque, Iacobum, dum profert verba, *Deus, qui paſcit me, ex quo ſum uſq. in diem hunc, Angelus, qui eruit me ab omni malo, benedicat pueris iſtis*; dum, inquam, iſta verba optando profert, Deum invocare, ut & ipſe velit benefacere, & Angelo, cujus hactenus tutela Iacobo adeo feliciter ceſſerat, injungere, ut in poſterum adoleſcentulorum iſtorum curam habeat. Sic, *Serviant tibi populi*, id eſt, Faxit Deus, ut tibi populi ſerviant. Neque refert, Deo Angelum jungi, & de utroque dici, *benedicat pueris iſtis*. Quis enim adeo rudis, qui

exiſti-

exiſtimet, eamdem eſſe rationem benedictionis à Deo & ab Angelo profectæ, vel ita Angelum, ut Deum benedicere ſive benefacere? Deus ſuâ ipſius benignitate & auctoritate benefacit: Angelus non niſi juſſus & miſſus à Deo. Optat igitur, Angelum à Deo juſſum & miſſum pueris adeſſe. Et ſi de invocatione mentali verbis adjunctâ agatur, orat Deum, ut id officij Angelo velit imponere. Sicut qui alterius famulum aliquò cupit ablegari, non famulum ſed herum compellat. Sic matutinis & veſpertinis precibus Deum invocamus, Dein Heiliger Engel ſey mit mir/daß der böſe Feind kein macht an mir finde. Conſideretur hoc quoque argumentum: Qui Angelus miſſus fuit à Deo, ut perageret particulare opus eripiendi particularem hominem Iacobum à malis & periculis, atque adeo ut exſequeretur opus pertinens non ad redemtionem univerſi generis humani, ſed ad temporalem conſervationem unius hominis, & pendens à communi divinâ providentiâ; is eſt legatus & miniſter & angelus Dei creatus. Sed Angelus qui eripuit Iacobum ab omni malo, is miſſus fuit à Deo ut perageret &c. Ergo.

Et invocetur, (potiùs *vocetur*) *in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abrahami & Iſaaci.* Dicantur & habeantur mei filij, pari omnino cum illis loco & ſorte; & proinde nepotes etiam Iſaaci & pronepotes Abrahami. Sic in defectu virorum dicunt ſeptem mulieres uni viro, Ieſ. IV, I; *Tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos*, id eſt de tuo nomine appellemur, tuæque uxores dicamur. Toſtatus: *Rogo Deum, quòd faciat eos vocari nomine meo, ſcilicet quòd vocentur de Iacob, & ſint duo capita tribuum inter filios Iacob.* Non ſperamus hodie ullum adeo vel in-

doctum

doctum vel audacem eſſe, ut ad invocationem ſancto-rum (quod aliquando à non nemine factum fuit) trahere auſit.

VERS. 19. *Semen ejus erit plenitudo gentium* ſive familiarum, id eſt, populos & familias replebit. Ita quod eſt in terrâ & terram replet, plenitudo dicitur terræ; quod eſt in mari, plenitudo maris. Pſalmo XCVI, 11; XCIIX, 7: Ieſ. XLII, 10. Et evaſit tribus Ephraim tum ampla, tum glorioſa, principum regumque genitrix.

VERS. 20. *In te benedicet Iſraël, dicendo: Ponat te Deus, ſicut Ephraim & ſicut Manaſſe.* Adeo eritis felices, ut Iſraëlitæ proſpera ſibi alijsve optantes, vos in exemplum ſint producturi, & ſuis felicitatem veſtræ ſimilem apprecaturi. Mos & formula iſta benedicendi etiam hodie apud Iudæos durare perhibetur.

VERS. 21, *Ecce ego morior: erit autem Deus vobiſcum, & reducet vos in terram patrum veſtrorum,* in Chananæam, quam patres veſtri habitarunt. Quod Deus promiſit, fideliter adimplebit: & ego id ut firmiſſimè credo, ita certiſſimè vobis affirmo. In cujus rei ſignum & argumentum *ego tibi* Ioſepho *do partem unam ſupra fratres tuos.* Etiamſi nunc ab eâ terrâ admodum ſim remotus, nec in eâ quidquam poſſideam, illis ipſis locis, quæ olim tenebam, per alios, me tamdiu abſente, occupatis; quia tamen de poſteris meis in eam reducendis certus ſum, ego quaſi in illis redux mihi iſtam partem tamquam jure poſtliminij vindico, & tibi Ioſepho tuisque poſteris dono. Sed quænam pars iſta? Evangeliſta Iohannes χωρίον vocat, *agrum, prædium, villam,* cap. IV, 5. *Venit in urbem Samariæ, quæ dicitur Sichar,* quod corruptum è Sichem, πλησίον τοῦ χωρίου, *juxta prædium, quod dedit Jacob Joſepho filio ſuo.*

Dubi-

Dubitari itaque nequit, quin hoc ipſum *χωρίον* fuerit pars illa Ioſepho à parente donata. LXX שְׁכֶם quod in Hebræo eſt, & tum *partem* ſignificat, tum nomen proprium eſt urbis, ut nomen proprium acceperunt, & tranſtulerunt, *Ἐγὼ δίδωμί σοι Σίκιμα ἐξαίρετον ὑπὲρ τοὺς ἀδελφούς σου.* Quæ Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis vertit, *Ego do tibi Sicimam præcipuam ſuper fratres tuos.* Et ſic etiam in ſuis codicibus latinis legit Auguſtinus, ut è Quæſtionibus ejus in Geneſin conſtat. Quæſt. 167 Sed additum in Hebræo adjectivum אחד *unam*, prohibet שכם ut nomen proprium accipi, & indicio eſt *partem* intelligi. Quin & Sanctus Evangeliſta inter urbem Sichem & inter prædium Ioſepho donatum ſatis clarè diſtinguit. Dicit enim urbem Sichem ſitam fuiſſe juxta prædium Ioſepho donatum. Quæ loquutio, ſi ipſa quoque urbs donata fuiſſet, inepta foret. Corruunt igitur opiniones eorum, qui urbem Sichem, quam Simeon & Levi perfidè & crudeliter in poteſtatem ſuam redegerant, Ioſepho donari à parente exiſtimant. Quod tamen admittere videntur è Iudæis Raſchi, è noſtris Hieronymus: diſertè autem affirmant Chryſoſtomus, Procopius, Liranus, & è recentioribus Fagius, Vatablus, Mercerus. Adde, quòd, ut rectè obſervat Auguſtinus, Iacob facinus illud ſemper improbaverit & ad extremum uſque halitum ſeriò deteſtatus fuerit. *In arcanum eorum*, ait capite ſequente, *non veniat anima mea, cœtui eorum non uniatur gloria mea, maledictus furor eorum.* Quomodo ergo ſibimetipſi hîc id factum tribuat: atque adeo ratum habeat & probet? Denique è facto filiorum nihil juris in urbem Sichimam adquirere potuit, quia totum, ut diximus & ipſe dolens agnoſcit, iniquiſſimum fuit. Agrum

igitur, inquam, aut prædium prope urbem Sichem ſitum Ioſepho dedit Iacobus. Et in hoc ipſo agro poſteri ejus rei memores oſſa Ioſephi ſepelierunt. Verba
c.24.v.32. ſunt extremo libro Ioſuæ: *Oſſa Ioſephi, quæ deportaverant filij Iſraelis ex Ægypto, ſepelierunt in Sichem, in parte agri, quam emerat Jacob à filiis Hamor patris Sichem centum nummis.* Eadem emtio totidem ferè verbis memoratur Geneſ. XXXIII, 19: & à protomartyre Stephano Act. VII, 16. Quomodo igitur hîc dicitur, QVAM CEPI E MANV EMORAEI GLADIO MEO ET ARCV MEO? Hieronymus: *Arcum hîc & gladium juſtitiam vocat, per quam meruit peregrinus & advena, interfecto Sichem & Emor, de periculo liberari.* Sic etiam apud Ieroſolymitanum paraphraſten liberationes ſuas Iacobus *innocentia & pietati* acceptas fert. Onkelos: *quam tuli de manu Emoræi oratione meâ & obſecratione.* Et *innuit* paraphraſtes, quemadmodum in eum commentatur Paulus Fagius, *Iacob patriarcham ardentibus precibus ſuis, quas ad Dominum habuit, efflagitaſſe & effeciſſe, ut ſibi Sichima à filiis expugnata remanſerit.* At negocium detentæ à Iacobo Sichimæ paullò antè excluſimus. Et hæc ipſa non è manu Emoræi, ſed Hivæi capta fuit. Hamor enim & Sichem Hivæi erant, Gen. XXXIV, 2. Toſtatus igitur id de retentâ Sichimâ explodit: quod de oratione & deprecatione dicitur, amplectitur, & ſenſum eſſe vult, Iacobum precibus impetraſſe, ut poſt vaſtatam Sichimam agrum ſuum & prædium ab hoſtium incurſione tutum retineret. Eſt tamen expoſitio allegorica, & à literâ nimiùm recedit. Qualis etiam altera Hieronymi, dicentis, *Vel certè ſic intelligendum, Dabo tibi Sicimam, quam emi in fortitudine meâ, hoc eſt, in pecuniâ, quam multo ſudore & labore acquiſivi.* Neque adſeri poteſt,

teſt, pecuniam iſtam gladio & arcu ſignatam fuiſſe, ut nummos Perſicos ſagittario, unde dixerit Ageſilaus, ſe à rege Perſiæ decem mille ſagittarijs ex Aſiâ ſummotum, quòd Perſa totidem Daricos oratoribus Atticis & Thebanis diſtribui feciſſet. Certum quidem eſt ex oratione Stephani, agrum *precio argenti* emtum eſſe. Sed ſi quod ſignum argento impreſſum, agni potiùs fuit, quàm gladij & arcus. nam קשיטה *agnum* cùm Græci tum Chaldæi vertunt. Aben Ezra de Iſraëlitis partem iſtam occupaturis κατὰ πρόληψιν interpretatur. Ego cepi, id eſt, poſteri mei capient. Sed hoc quoque durum & violentum. Minùs dura, ſed tamen allegorica altera ejuſdem expoſitio de divino favore accipientis, quemadmodum dicat David, *Deus clypeus meus & cornu ſalutis meæ*, Pſal. XIIX, 3. Equidem ut aliàs, ita hîc quoque ſenſum, quem plana verba exhibent, amplectendum exiſtimo. Agrum, quem à filijs Hamor emerat, aliquando è manu invadentium Emoræorum gladio & ſagitta ſive armis eripuit & vindicavit. Quod etiamſi nuſpiam in Scripturis memoretur, omnium tamen maximè eſt probabile, & à difficultatibus, quas aliæ opiniones incurrunt, immune. Omnes verò & ſingulæ Patriarcharum totque annorum res geſtæ brevi Scripturæ hiſtoriâ neque comprehenduntur, neque comprehendi opus erat. Certum eſt, χωρίον ſive agrum quemdam urbi Sichimæ vicinum, non urbem, Ioſepho à parente donatum. Certum etiam eſt, hunc ipſum agrum aliquando è manu Emoræorum gladio & arcu captum ſive ereptum. Iſtê autem eumdem, quem à filijs Hamor centum nummis emerit, ſi non omninò certum, certo tamen eſt proximum. Nempe ager emtus juxta Sichimam, Gen. XXXIII, 19, 20.

Plut. Ageſilao.

19, Ioſ. xxiv, 31: ager donatus juxta Sichimam, Iohan. iv, 5. Nec de alio, quem Iacob legitimè donare potuerit, conſtat. Andreas Maſius ad vicina agro emto loca extendit. nempe *Iacobum reden iſſe primum precio ab Humoris popularibus exiguum fundum, in quo cum ſuis manere poſſet: deinde paullatim ex vicino agro pepuliſſe Amorraos, quem illi non jure ſed armis eripuerant Sicimitis, quum Iordanem tranſmiſiſſent populabundi.* Cæterùm χωρίον illud latè patuiſſe, quod juxta hanc opinionem ſtatui oporteret; aut Iacobum virum quietis & pacis amantem finium proferendorum ergo arma alijs intuliſſe prorſus non eſt veroſimile. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Com. in c. ult. Ioſuæ.

CAPVT. XLIX.

Caput hoc totum eſt propheticum; nec caret difficultatibus. Prophetiæ enim eduntur ſublimi dicendi genere, frequentibus metaphoris, allegorijs & figuris exornato. Nos hac vice, quia omnia accurate exponere non poſſumus, levi brachio nonnulla ſaltim attingemus.

VERS. 3. *Ruben principium roboris mei.* Vulgatus habet, *doloris mei.* און dolorem ſignificat, & etiam robur. Sed præſtat cum Chaldæo *robur* interpretari. Generare enim liberos eſt ſignum roboris naturalis. Primogenitus igitur eſt primum ejus roboris argumentum. Hinc omnis primogenitus vocatur *principium roboris*, Deut. xxi, 17. Adde etiam Pſalmi cv, 36. Neque convenit *principium doloris* interpretari, quia elogia dignitatis Rubeni competentis hic conjungit pater Iacobus. EXCELLENTIA DIGNITATIS ET EXCELLENTIA ROBORIS, potentiæ ſive imperij tibi ſcilicet competeret, niſi levitate & libidine tuâ ipſe excuſſiſſes. Onkelos παραφράζεται:

Τα

Te decebat, ut acciperes tres partes, primogenituram ſcilicet, ſacerdotium & regnum. Per primogenituram intelligit ius capiendi duas hereditatis portiones: hoc tranſiit ad Ioſephum, cujus poſteritas duas tribus in Iſraële conſtituens duas quoque hereditatis partes adijt. Sacerdotium ad Levi translatum eſt: regnum ceſſit Iudæ. LEVIS fuiſti, non habuiſti rationem dignitatis tuæ, quales homines nos quoque vulgatâ loquendi formulâ *leves* dicere ſolemus; INSTAR AQVAE, ut aqua proclivis ad effluendum, ita tu ad effundendum & perdendum dignitatem tuam. NON EXCELLES: QVIA ADSCENDISTI CVBILE PATRIS TVI, & cum novercâ inceſtum commiſiſti: vide Gen. XXXV, 22. EX QVO POLLVISTI THORVM MEUM, עָלָה ADSCENDIT ut vapor aut fumus excellentia & dignitas tua, dilapſa eſt, exſtincta eſt, evanuit. Talis etiam uſus & ſignificatio hujus verbi Pſal. CII, 25. Hac ipsâ de re 1 Chron. V, 1: *Quum polluiſſet thorum patris ſui, tradita eſt primogenitura ejus filiis Ioſephi, filij Iſraëlis: non tamen ut ipſi attribueretur primogenitura* in ſolidum, ſive univerſum jus primogenituræ. *Iuda enim prævaluit*, potentiâ primus fuit *inter fratres ſuos, & principes ex eo* & reges prodierunt. Nos hic probamus & ſequimur Pagnini verſionem. Nunc quoque alias ſubijciemus. Vetus vulgata: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia adſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.* Munſteri: *Levis ut aqua, non excelles: quia adſcendiſti ad lectum patris tui, tunc violaſti, & ſtratum meum eſſe deſiit.* Tigurina: *Diffluens veluti aqua: non excelles (prærogativa,) quoniam adſcendiſti lectum patris tui, tum ſtratum meum profanaſti adſcendendo.* Tremellio-Iuniana: *Rapiditate, aquarum inſtar* ruens

ne excellas, quia adſcendiſti cubilia patris tui: tunc profanaſti ea, ſtratum meum adſcendit.

Vers. 5. *Simeon & Levi fratres*, & naturâ & moribus: atque adeo ſocij in facinore perpetrando. *Arma iniquitatis ſunt machæræ eorum.* Hæc interpretatio Ariæ Montani optima eſt; cum quâ convenit Tigurina: *arma violenta machæra eorum.* Vetus vulgata: *Vaſa iniquitatis bellantia.* Pagninus: *arma iniquitatis in habitationibus eorum.* LXX: συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν, *Conſummaverunt iniquitatem propoſiti ſui.* Quæ longiùs abeunt ab Hebræo. Onkelos, quaſi in laudem eorum iſta dicerentur, tranſtulit, *viri fortes in terrâ peregrinationis ſuæ fecerunt fortitudinem.* At factum Iacob non laudat, ſed vituperat & damnat.

Vers. 6. *Occiderunt virum.* Singularis pro plurali, ut ſæpe in ſacris. *Eradicaverunt*, everterunt *murum*. Ita Pagninus. *Suffoderunt murum*, Vulgatus, & Munſterus, & Tigurini. Quibus conſentit Onkelos. Quaſi non tantùm Sichemîtas interfecerint, ſed etiam urbem everterint. Verùm שור ſignificat *murum*; שׁור quod hic legimus, *bovem.* Rectiùs itaque vertit Tremellius, *Pro arbitrio ſuo*, pro lubitu ſuo *avulſerunt* ſeu abduxerunt *boves.* Et hoc conſonat ſuperioribus, quibus urbem deprædati, & *oves, armenta & aſinos* abegiſſe dicuntur, cap. XXXIV, 28. LXX: ἐνευροκόπησαν ταῦρον, *enervaverunt taurum.*

Vers. 7. *Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſraël.* Hic indicatur pœna, quam propter delictum ſuum in poſteris ſuis ſubierunt. Nempe diſperſæ ſunt in Iſraël tribus Simeon & Levi. De tribu Levi res manifeſta. Dicata enim miniſterijs ſacris non accepit pe-

culia-

culiarem & diſtinctam portionem, ſed habitavit intermixta alijs tribubus. De tribu Simeonis itidem conſtabit, ſi legatur initium capitis decimi noni in libro Ioſuæ. Ibi enim memoratur accepiſſe hereditatem *in medio hereditatis filiorum Iuda*, quòd tribui Iudæ ceſſiſſet ſors amplior, quàm opus eſſet. Fuerunt itaque Simeonitæ quaſi inquilini tribus Iudæ. Quum autem multiplicatis pars, quam in tribu Iudæ acceperant, non ſufficeret, quæſiverunt novas ſedes: & alij quidem vallem Gedoris occuparunt, alij ad montem Seir profecti Amalekitas inde expulerunt, 1 Chronic. IV, 38 & ſeqq. Videmus igitur impletum eſſe vaticinium in poſteris Levi & Simeonis. Targum Ieroſolymitanum addit ex tribu Simeonis ortos doctores ſeu magiſtros juventutis, eosque ſparſim in urbibus erudiendæ juventutis ergo habitaſſe. Quod an verum ſit, quis certò nos docebit? Nondum enim fortè, quanta ſit hujus paraphraſtæ auctoritas, liquidò conſtat.

VERS. 8. *Iuda, te laudabunt fratres tui.* In Hebræo verbo laudandi eſt adluſio ad nomen Iudæ, quæ latinè exprimi nequit. Te laudabunt, te reſpicient, quin tua tribus præcipua erit: ea Reges producet, quin ipſum regum regem Meſſiam.

VERS. 9. *Iuda cubuit tamquam leo, & tamquam immanis leo, quis ſuſcitet eum?* Similitudo deſumta à leone, qui potitus prædâ in terram recumbit, prædam abſumit: nec tutum eſt eum excitare vel irritare. Ita deſcribitur generoſitas & fortitudo poſterorum Iudæ, & quàm formidabiles futuri ſint hoſtibus ſuis.

VERS. 10. Habetur claſſicum dictum & illuſtriſſimum de adventu Servatoris mundi Meſſiæ vaticinium. Quod,

Quod, quia modò ex dignitate & accuratè pertractare non poſſumus, alibi, juvante Deo, uberiùs exponemus. Non recedet sceptrum de Iuda, h.e. regnum & reſpub. Iudaica non exſcindetur; populus qui aliquando potiſſimâ ſui parte è poſteris Iudæ conſtabit, & ab illo denominabitur, non deſinet ſuis legibus & ſtatutis vivere, jurisdictione frui, atque adeo populum & rempub. conſtituere. Non convenit huic loco, ut שבט pro *virgâ percutiente & affligente* accipiatur, quemadmodum capitur 11 Sam. VII, 14; Iobi IX, 34 & XXI, 9; Proverb. XIII, 24 & XXII, 15. Iudam enim meris benedictionibus proſequitur ſenex pater, ſupra reliquos fratres extollit, & de eo non niſi læta & proſpera prædicat. Quomodo igitur adferat, adflictionem à Iuda uſque ad adventum Meſſiæ receſſuram numquam? ab eo, inquam, cujus manus in cervice hoſtium ſuorum, id eſt, qui hoſtes ſuos in fugam aget & debellabit? qui prædâ potitus recumbet, ut irritari præſente periculo nequeat? qui vino & lacte abundabit? Et manifeſtò falſum eſt, afflictiones numquam à Iudâ vel Iudæis, qui aliquando, quin admodum diu magnâ proſperitate uſi fuerunt, receſſiſſe. Et quomodo conveniat afflictio cum eo, qui ſubjicitur, legislatore? Quæ cohærentia, *Non recedet afflictio neque legislator*.? Denique Iudæi ipſi omnes, qui alicujus auctoritatis vel eruditionis fuerunt, de poteſtate & imperio acceperunt. Nunc ſaltim adijcio verba Buxdorfij, viri in eorum lectione verſatiſſimi. Sic ille in Lexico: שבט *ſceptrum Gen. XLIX, 10, id eſt, reges & regia auctoritas, juxta triplex Targum, & Hebræos veteres Talmudicos, codice Sanhedrin cap. 1. pag. 5; & codice Horaioth cap. 3. pag. 11; ac recentiores, Kimhi, R. Salomonem, Aben Eſram, R.*

Moſe

Moſe ben Nachman, R. Iſaac ben Arama, Chaskuni ſive R. Chiskia, quos ego vidi. Eſt itaque quaſi dicat Patriarcha, Quamquam cæteræ tribus diu ante Meſſiæ adventum in ſervitutem numquam finiendam abducentur, & regnum ac reſp. eorum penitus evertetur, non tamen à tribu Iuda & reliquo populo, qui ei adglutinabitur, & ab eo nomen *populi Judaici* recipiet, removebitur ſceptrum, NEQVE LEGISLATOR, qui populum regat & moderetur, E MEDIO PEDVM EIVS, *è femore ejus*, ut bene expreſſit Vetus interpres, id eſt, ex ejus ſanguine & ſemine progenitus, VSQVE QVO VENIAT SILOH, id eſt, rex Meſſias, ut iterum triplex Targum, Bechai, Raſchi, Kimhi, Bahal Hatturim. Codex Sanhedrin, cap. 11: *R. Johanan dixit, Quod eſt nomen Meſſiæ? Qui de ſchola R. Sela dixerunt, Siloh.* Deſcendit vocabulum שילה à שָׁלָה ſicut קיטר à קָטַר. Significat שלה *quietus, tranquillus fuit*; item *felix & fortunatus fuit.* nam qui in quiete & tranquillitate degit, felix eſt. Itaque שילה idem quod *quietus, tranquillus*, aut etiam *quietis & tranquillitatis auctor*; item *felix & fortunatus*, cui proſperè omnia ſuccedunt, *inclutus, auguſtus.* Rectè B. Lutherus in hunc locum: Es heiſſet einen ſolchen Mann / dem es glücklich von ſtaten gehet / der es frey hinaus führet / vnd gerett alles wol / was er anſihet. Hæc ejus vocis genuina origo & ſignificatio. Latinus interpres pro שִׁילֹחַ quod à שָׁלַח oritur, accipit, & reddidit *qui mittendus eſt.* Græca verſio legit: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *donec veniant quæ repoſita ſunt ei.* Siloh pro שֶׁלוֹ interpretes iſti videntur accepiſſe: uti etiam Chaldæi Onkelos & Ieroſolymitanus, qui reddidere, *cujus*, & ſupplevere, *eſt regnum.* nam שלו Rabbinis uſurpatur pro *cujus*, vel *quod ejus*, Rabbi David Kimhi, in libro Tomo 4. Ienenſi.

K Radi-

Radicum שִׁילֹה exponit בְּנוֹ filius ejus, ut ה ſit idem, quod affixum ו, *ejus*, & שִׁיל idem quod שִׁלְיָה *ſecundina*, & per ſynechdochen continentis pro contento *fœtus*, *filius*. Donec veniat filius ejus, Iudæ videlicet, aut David, juxta Kimhium, aut Meſſias. Ad eumdem modum Rabbi Bechai: *Rectum eſt*, inquit, *ut hic verſus intelligatur de Meſſia redemtore novißimo, & hoc eſt quod dicitur, uſque dum veniat Siloh, id eſt, filius ejus prodiens de ſemine ejus. Et ratio, quod non dixit* בנו *ſed* שליה, *quia voluit emphaticè ſubinnuere filium, qui naſcitur è ſecundinâ mulieris, juxta viam* ſive conſuetudinem *omnium, qui naſcuntur è muliere*. Congruit Ionathan Chaldæus, qui vertit זעיר בנוי *parvus filius ejus*. Hæc, ut à quovis intelligi promtum eſt, detorta ſunt. Nos veram & facilem derivationem & ſignificationem paullò antè proferebamus. Et ei erit obœdientia popvlorvm, h. e. ejus doctrinam populi recipient & amplectentur, ejus ſtatutis & mandatis obtemperabunt & obſequentur. יִקְהַת enim auditionem & obœdientiam ſignificat, & reperitur etiam Proverb. xxx, 17. Quæ hodie exſtat græca verſio, quam ſequitur vulgatus interpres Latinus, à קָוָה deduxit, & pro תִּקְוָה accepit. *καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν*, *Et ipſe erit exſpectatio gentium*. Salomon Iarchius ab eadem radice pro מִקְוֵה habuit, & interpretatus eſt אסיפת העמים *Ei erit aggregatio populorum*; uti etiam Pagninus, Munſterus, Tigurini & Vatablus, ſenſu ſatis bono. Ad Meſſiam enim accedent & aggregabuntur populi. Chaldæus Ionathan ad radicem קָהָה *debilitatus, retuſus, hebetatus fuit* retuliſſe videtur, quum reddidit, *per eum debilitabuntur, reſolventur, pavore diffluent gentes*, וכריליה יתימסין עממיא Sed nos malumus cum reliquis duobus Chaldæis paraphraſtis

ſtis Onkeloſio & Ieroſolymitano pro obœdientiâ, uti Tremellius quoque fecit, accipere, quum ea ſignificatio & ſenſum habeat optimum & facillimam derivationem. Videmur autem operæ precium facturi, ſi ipſas illas Chaldaicas paraphraſes adjiciamus. Onkelos: *Non deficiet faciens dominium*, exercens poteſtatem *de domo Iuda, & ſcriba de filiis filiorum ejus in ſeculum, donec veniat Meſſias, cujus eſt regnum, & ipſi obœdient populi.* Ionathan: *Non deficient reges & principes de domo Iuda, & ſcribæ docentes legem de ſemine ejus, uſque ad tempus, quo veniet rex Meſſias, parvus filius ejus; per quem debilitabuntur populi.* Ieroſolymitanus: *Non deficient reges de domo Iuda, neque ſcribæ doctores legis de filiis filiorum ejus, uſque ad tempus, quo veniet rex Meſſias, cujus eſt regnum: & ei ſubjicientur omnia regna terræ.* His paraphraſtis, præter Moſen & Prophetas, alios majores antiquitate vel auctoritate ſcriptores, Iudæi non habent. Quum igitur ante complura ſecula imperium omne à Iuda ſit ablatum, jam pridem Meſſiam veniſſe neceſſe eſt. Prædicit enim & promittit ſanctus Patriarcha, priùs venturum Meſſiam, quàm auferatur ſceptrum, atque adeo uſque ad Meſſiam Iudæis ſuperſtitem fore ſuam rempublicam. Et hæc proſperitas, ut antè monuimus, peculiaris eſt tribui Iudæ, quatenus ſcilicet & ſemetipſam & alios ſibi conjunctos & combinatos complectitur & denominat: non convenit autem reliquis tribubus, aut regno, quod in Ephraim conſtitutum fuit. Porrò ablatum eſt imperium & everſa reſpublica, & abolita omnis Iudæorum poteſtas & jurisdictio, non quidem quando à Nebucadnezare [illegible]nem tranſlati ſunt, ſolos enim LXX annos [illegible] duravit, quum interim præſto eſſent prophetiæ, quin

prophetæ, qui à Deo miſſi certum reditum pollicerentur. Neque quando regia dignitas in Herodem Antipatri filium tranſlata. nam ſi maximè Idumæus ille eſſet, qui nihilominus natus fuit parentibus legem & circumciſionem amplexis & in communionem ac corpus populi Iudaici receptis; ſed ſi, inquam, indubitatò alienigena eſſet, non tamen propter regem gente Idumæum magis everteretur reſp. Iudaica, quàm Caſtellana, propter regem ex Auſtriâ, vel Polonica propter regem aliquando è Galliâ, mox è Tranſſylvania, & paullo poſt è Sueciâ acceptum. Tum demum autem penitus eſt exciſa, & poteſtas atque juriſdictio omnis ablata, quando per Titum & Romanos exuſtum eſt templum, urbs deſtructa, populus deportatus & diſſipatus, ita ut populus, ſiquidem ex ſententiâ Politicorum vocabulo utamur, eſſe deſierit. Quod factum eſt anno XXXVI, poſtquam Siloh terras reliquerat, & in cœlos ad Patrem ſuum adſcenderat. Non igitur antè ablatum eſt à Iuda regnum terrenum & temporale, quàm è ſemine Iudæ prognatus Siloh magnâ felicitate & ſucceſſu cœleſte & ſpirituale erexiſſet, & ad ſui obœdientiam populos bene multos allicuiſſet. Ab excidio hucuſque elapſi ſunt anni propemodum CIↃ'IↃ C: nec ulla ſpes eſt vel promiſſio reſtitutionis. Hinc R. Samuel Maroccanus amico ſuo ante annos IↃ LX in hunc modum ſcripſit: *Deſidero, domine mi, certificari per te, teſtimoniis & Legis & Prophetarum, & aliarum Scripturarum, quare nos Iudæi generaliter percuſſi ſumus à Deo in captivitate iſtâ, in qua ſumus, quæ poteſt vocari propriè ira Dei perpetua, quoniam non habet finem. Nam modò ſunt mille anni completi & ultra, quòd per Titum fuimus captivati. Nos ſcimus quòd patres noſtri adoravere-*

cap. I.

raverunt idola, & occiderunt Prophetas, & legem Dei abjecerunt, & propter omnes iſtas tranſgreſſiones Deus non percuſſit eos captivitate, niſi per ſeptuaginta annos in Babylonia, & poſt tempus præfatum placatus eſt eis, & reduxit eos in terram ſuam. Et ſecundum Scripturam ira Dei fuit tunc temporis validiſſima ſuper omnes iras, quas ante tempora illa commemorat Scriptura. & tamen, ut dictum eſt, pœna tantorum peccatorum non fuit niſi ſeptuaginta annis. Et nunc, domine mi, ira Dei, quæ in præſenti punit nos, non habet terminum, nec finis ejus promittitur in Prophetis. Rurſus: *Domine mi, valde mirabile eſt mihi de nobis. Speramus enim quotidie liberationem de captivitate iſtâ, & ſemper de hoc loquimur, & ſemper loquimur de reductione noſtrâ in Ieruſalem: & ideò ſumus cœci, vel deceptores ſimplicium. Nam conſtat quòd poſt diſperſionem noſtram, quæ facta eſt per Titum, non apparuit in nobis Propheta, qui nobis promitteret reductionem.* cap.4. Hæc è libro ſive epiſtolâ ante annos, ut diximus, ıↄ ʟx ſcriptâ, & ante ccc ex Arabico in Latinum ab Alfonſo Boni-hominis ſectâ Dominicano, gente Hiſpano, Pariſiis conversâ, & Hugoni ordinis generali magiſtro dedicatâ. Non ignoro equidem Iudæos jactare principatum, quo in Babyloniâ vel Bagded potiantur. Quod in hunc locum auſus eſt facere Raſchi. Et de ראש גלות ſive Principe exulum multa magnificè Benjamin Tudelenſis in ſuo Itinerario, & Abraham Zacuth in Iuchaſin. Facilè credo, conatos ibi Iudæos pompis & ceremonijs ſupplere, quod ipſi rei deerat. Quamquam nullus dubito, & iſtas à mendacibus Iudæis (quibus hic ſuum ſuccurrit proverbium, *Qui vult mentiri, procul removeat teſtes ſuos*) narrando in majus augeri. Interim certum eſt, precariam & umbratilem dignitatem, qualemcumque tandem obtinuerint,

pio verâ & propemodum regiâ, & conſeſſus ſcholaſticos pro politicis & judicialibus ab ijs venditari. Quis verò ita mentis inops, ut ſibi perſuaderi patiatur, ſive Caliphas, ſive Perſarum reges, ſive Turcorum tyrannos, quibus iſta loca olim paruerunt, aut hodie parent, permiſiſſe vel permittere, ut gens ſerva & captiva in medio regno aliud quaſi regnum & peculiarem ſub proprio principe rempub. conſtituat? Quod ſi autem ibi adeo proſperè agunt, cur in Europâ duram ſervitutem ſervire, quàm eò ſe conferre, malunt? Taceo, quòd regnum à Patriarcha promiſſum terræ Canaan quaſi innectatur & adligetur. Huc enim ſpectant cùm quæ præmittuntur, tum quæ ſubijciuntur. Loquitur itaque de imperio ejus regionis, in quâ Iudæ manus in cervice inimicorum ſuorum, ubi adſcenſurus ad prædam, & accubiturus ut leo, à nemine impunè ſuſcitandus: de imperio, inquam, ejus provinciæ, in quâ ligaturus aſinum ſuum ad vitem, loturus veſtimenta ſua in vino, oculos habiturus rubicundos è vino, & dentes candidos ex lacte. Magis mira ſed minùs vera ſunt, quæ idem Benjamin & alij, ſive Benjaminis ſive ſuâ ipſorum fide, commemorant de ampliſſimis regnis, quæ tribus à Salmanaſſare deportatæ in Oriente, ad flumen Gozan in montibus Nisboris, & neſcio quibus inacceſſis in regionibus, ad quas niſi peragratis multorum dierum itinere deſertis penetrari nequeat, poſſideant, nemini ſubditæ & vicinis formidabiles. De iſtis enim regnis nemo præter Iudæos fando quidquam accepit, tantum abeſt, ut oculis luſtraverit: quum tamen hodie vix quidquam in iſtis partibus ampliùs ſuperſit incognitum. Quòd ſi maximè eſſent aut reperiri poſſent regna à tribubus,
quas

quas Salmanaſſar deportavit, poſſeſſa; hinc tamen non efficeretur, penes tribum Iudæ imperium adhuc eſſe. Sed quod nullibi eſt, fruſtra quærunt miſeri. Auſcultent potiùs veriſſimum tribulis ſui, R. Davidis Kimhi effatum. Sic enim ille ad verba Hoſeæ, *Multis diebus deſi-debunt Iſraëlitæ ſine rege & ſine principe; Et hi*, inquit, *ſunt dies exilij, in quo nos ſumus hodie, & neque regem neque principem ex Iſraële habemus: ſed in poteſtate gentium ſumus, & in poteſtate regum ac principum earum. — Sic nos hodie in hoc exilio omnes filij Iſraël ſumus.* Quod ſanè veriſſimum eſt, & ubique locorum comprobat experientia. Quæri denique poteſt, qui factum ſit, quòd hæc illuſtris adeo prophetia nuſquam nec ab ipſo Servatore nec ab Apoſtolis ejus ad convincendos Iudæos adducta fuerit? Equidem, quid mihi videatur, paucis dicam. Quum Servator in terris adhuc ageret, & ipſo in cœlos ſublato Apoſtoli ſcripta ſua ederent, nondum ablatum erat ſceptrum à Iuda. Igitur ex hac prophetiâ convinci Iudæi nondum poterant. Nam ſi maximè urſiſſes verba Patriarchæ: Non auferetur ſceptrum à Iuda, donec veniat Siloh; ſtatim regeſſiſſent ipſi: Supereſt adhuc reſpublica Iudaica, ſupereſt templum, vivimus noſtris legibus. Ergo per hæc verba licet etiamnum nobis venturum Meſſiam exſpectare. Ejuſmodi reſponſo argumentum, ſi quod ex his verbis eo tempore factum fuiſſet, elidi potuiſſe res docet ipſa. At nunc, quando à tot ſeculis everſa & proſtrata jacet reſpub. Iudaica, & metropolis Ieroſolyma, & templum, nec ulla supereſt ſpes reſtitutionis, rectè & efficaciter urgentur Iudæi argumento è promiſſione & prædictione propheticâ Iacobi & exciſâ ipſorum republicâ petito.

cap 3. 4.

VERS.

Vers. 11. *Ligans ad vitem pullum* vel aſellum *ſuum*. Poſtquam dixerat de Meſſia ſive ſpirituali Iudæ felicitate, nunc ad priora & temporalem prædicandam redit. Tanta erit fertilitas terræ, quam poſſidebit poſteritas Iudæ, & tanta vitium in eâ copia, ut ad vitem, tamquam ad ſepem, ligaturus ſit quiſque aſellum ſuum, *& ad* שֹׂרֵק *generoſam vitem filium aſinæ ſuæ*, oneraturus ſcilicet eum uvis, quas ea vitis produxerit. *Lavit* (præteritum ponitur pro futuro, *lavabit*) *in vino veſtimentum ſuum*, tanta erit abundantia vini, ut loco aquæ poſſit adhiberi: ita quidem exponunt nonnulli, ſed nos mox convenientiùs interpretabimur: *& in ſanguine uvarum operimentum ſuum*. Omne muſtum, omne vinum ſanguis ſive ſuccus eſt uvarum: peculiariter tamen rubro vino, quale iſta terra protulit, ſanguinis appellatio convenit. Proverb. XXIII, 31: *Ne reſpicito vinum, quando rubeſcit, quando exhibet in poculo colorem ſuum*. Ieſaiæ LXIII, 28: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtis tua ſicut calcantis in torculari?* Qui videlicet rubro ſucco ſive ſanguine uvarum, quas calcat, adſpergitur. Ad eumdem ferè modum rectè capietur noſter hic verſiculus, quo vini copia Iudæ obventura deſcribitur. In vindemiâ ligabit aſellum ſuum ad vitem, & uvis onerabit: inde lavabit veſtem ſuam ſanguine uvarum, quo ſcilicet totus reſpergetur, quando uvas calcabit & muſtum exprimet.

Vers. 12. *Rubicundus oculis à vino, & candidus dentibus à lacte*. Tanta erit copia vini, ut à potu vini oculos habiturus ſit rubicundos; tanta copia lactis, ut ab eſu lactis dentes ſit habiturus candidos. *Cui rubor oculorum eſt? immorantibus apud vinum*, Prov. XXIII, 29. Non tamen abuſum vini & ebrietatem, ſed ſolam abundan-

tiam

m prædicat. Hæc literalis eſt expoſitio. Neque inter tot alia proſperitatem terrenam concernentia, iſta etiam interſeri quiſquam miretur. Patres plerique & iſta & alia de Chriſto exponunt. Quod quidem rectè fit ſecundum allegoriam, etiamſi non ſit ſecundum literam. Quædam è Theodoreto exempli vicem ſubjiciam. *Chriſto quadrat, quod dicitur, Recumbens dormivit ut leo, & ut catulus leonis. Quemadmodum enim leo dormiens terribilis eſt: ita mors Domini formidabilis fuit & morti & diabolo. — Hæc autem clauſula, Quis excitabit illum? ineffabilem ejus potentiam declarat. Ipſe enim ſe ſuſcitavit, — Deinde demonſtrans populum ex gentibus & Iudæis compoſitum, Alligans, inquit, ad vitem aſinam ſuam, & ad pampinum vitis pullum aſinæ ſuæ. Quod Iſraël dicatur vitis, omnes prophetæ docent. — Pullum autem appellat populum gentilem, ὡς ἀδάμαστον ὄντα, καὶ πολλοῖς δαμάζειν οὐκ ἰσχυκότα, quippe indomitum, & nullo hactenus rectore uſum. — Deinceps quoque prædicit paſſionem, Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ amictum ſuum. Poſtea demonſtrat lætitiam ex paſſione procedentem, Χαροποιοὶ, lætitiam afferentes oculi ejus præ vino. — Doctrinæ verò decorem atque ſplendorem candidiſſimis dentibus comparat.* Iuſtinus Martyr, dialogo cum Tryphone, ante medium: *Prædictio eſt tum de operibus, quæ in priore ejus adventu ab eo ſunt edita, tum de gentibus in eum credituris. Hæ enim tamquam pullus ocioſus, qui nullum jugum cervice ſua geſſit uſque dum Chriſtus veniret, & miſſis diſcipulis ſuis eas in ſuam diſciplinam reciperet. Et iſtæ jugum verbi ejus bajulantes tergum ſuum cunctis ferendis aptarunt, ut bonorum, quæ ipſa exſpectabant & ille promiſit, participes redderentur.* Plura apud hunc ipſum & alios, qui volet, videat. Lubet autem adijcere hujus loci paraphraſin, quæ in Ieroſolymitano Targum habetur. Quæſt. alv. in Gen.

tur. *Quàm pulcer eſt rex Meſſias, oriturus de domo Iuda! Adſtringet lumbos ſuos, & exibit in prælium contra hoſtes ſuos. Et occidentur reges cum proceribus. Rubefaciet fluvios ſanguine, & dealbabit colles ſuos pinguedine robuſtorum. Veſtimenta ejus imbuentur cruore: ipſe autem adſimilabitur formæ botrorum. Quàm pulcri ſunt oculi regis Meſſiæ ad videndum, præ vino defecato, ne videat eis adulteria & effuſum ſanguinem innocentium. Dentes ejus exercitati ſunt in lege, ne manducet eis iniquitates & rapinas. Rubeſcent montes ejus vineis & torcularibus vini: candeſcent colles ejus multitudine tritici & grègibus ovium.*

Vers. 13. *Zebulon ad portum marium habitabit, & ad portum navium*, inter mare videlicet Galilææ ſive Genezareth, & mare mediterraneum. *Terminus ejus uſq; ad Sidon*, id eſt, reſpiciet Sidonem, vel verſus Sidonem erit. Immediatè enim tribus Zebulon terminos Sidonis non attigit, ſed tribus Aſer.

Vers. 14. *Iſaſchar aſinus oſſis*, vel oſſeus, id eſt, robuſtus. *Cubans inter duos terminos.* Ita Onkelos, Vulgatus, Pagninus, Tigurini. Munſterus: *inter duas ſarcinas.* In Hebræo eſt vox ambigua, quæ bis tantùm reperitur in toto ſacro codice, hîc & Iudic. v, 16. Sarcinarum ſignificatio magis convenire videtur. Cubat inter duas ſarcinas, ab utroque ſcilicet latere, ut aſinis uſu venit, dependentes atque adeo gravia fert onera.

Vers. 15. *Et vidit requiem, quòd bona, terram quòd amœna, & inclinavit humerum ſuum ad baiulandum.* Indicat tribum Iſaſcharis fertilitate terræ invitatam agriculturæ deditam fore, & toleraturam onera, quæ agricolis imponi ſolent. *Factusq; eſt tributarius.* Quando geritur bellum, tributum colligitur ex agris, ad milites alendos. Hæc & alia

onera

onera mavolet tribus Iſaſchar ſuſtinere, quàm agriculturæ renunciare & militiæ operam dare.

Hactenus filij Leæ. Zebulon tamen præponebatur, etiamſi minor natu fuerit, quàm Iſaſchar. Reddunt rationem, quòd quum de tribu Iuda & Chriſto inde orituro egiſſet, ſubjungat de Zebulone, in cujus tribu fuerit Nazareth, in quâ ille conceptus, & mons Tabor, in quo transfiguratus, & alia loca, in quibus frequenter docuerit. Confer Matth. IV, 15.

Dan inter ancillarum filios ut maximus natu, ita quoque primus memoratur. Secundum ordinem ætatis ſequi deberet Naphthali, ſed medij interſeruntur filij alterius ancillæ Zilpæ Gad & Aſer, & ultimus ſubijcitur Naphthali. Num aliqua, & quænam ejus rei cauſſa reddi poſſit, mihi non conſtat.

VERS. 17. *Dan ut ſerpens juxta viam, ut ceraſtes juxta ſemitam.* Inſinuat fortitudinem, cum aſtutiâ vel prudentiâ conjunctam. Nempe ſerpens ſive ceraſtes, qui ad ipſum equitem pertingere nequit, *mordet calces equi*, isque doloris acerbitate victus excutit equitem, *& ſic cadit ſeſſor ejus retrorſum.* Chaldæi interpretes omnes de Simſone accipiunt, è tribu Danis oriundo, qui videlicet Philiſtæos & robore ſuo & vafritie contudit.

VERS. 18. *Salutem tuam exſpecto Domine.* Vt Prophetæ alij, ita quoque ſanctus Patriarcha promiſſiones rerum temporalium promiſſionibus ſpiritualibus interrumpit & diffindit; atque adeo dum in eo eſt, ut quas poſteri regiones habitaturi, quibus dignitatibus & commoditatibus beandi, explicet, ſubinde mente altiùs elevatâ de Meſſia & ſalute atque felicitate, ejus beneficio obventurâ, interſerit. Rectè itaque de Meſſia & ſalute eminentiore,

tiore, quàm temporali, exponunt Iudæorum doctorum antiquiſſimi, paraphraſtæ ſcilicet Chaldæi. Paraphraſis Onkelos, ut habetur editione Complutenſi: nam in Venetá & Buxdorfianâ (ne quis ibi fruſtra quærat) non inveniuntur, quæ ſubijciam. *Dixit pater noſter Jacob, Non exſpecto redemtionem Gideonis, filij Ioas, quæ eſt redemtio temporalis, neque redemtionem Simſonis, filij Manoah, quæ eſt redemtio tranſitoria; ſed redemtionem Meſsiæ filij David, qui venturus eſt, ut accerſat ſibi filios Iſraël: ejus redemtionem exſpectat anima mea.* Paraphraſis Ionathanis: *Dixit Jacob, quando vidit* ſpiritu prophetico *Gideonem filium Ioas, & Simſonem filium Manoah validos redemtores* ſive ſalvatores; *Non reſpicio ego ad redemtionem Gideonis, nec attendo ad redemtionem Simſonis, quorum redemtiones* ſive liberationes *temporariæ, ſed ad tuam, Domine redemtionem reſpicio & attendo, redemtionem*, inquam, & ſalutem *perpetuam.* Paraphraſis Ieroſolymitana: *Dixit pater noſter Iacob, Non ad redemtionem Gideonis filij Ioas reſpicit anima mea, eſt enim momentanea; nec ad redemtionem Simſonis, quia eſt tranſitoria: ſed ad redemtionem, quam eloquutus es in Verbo tuo, ad adducendum ei populum tuum, filios Iſraël, ad redemtionem tuam*, inquam, *reſpicit anima mea.* מֵימַר דַיְיָ apud interpretes Chaldæos non modò verbum, quod hominibus loquitur & revelat Deus, denotat, ſed ſæpe aliquid, ut ita dicam, Dei, ipſi Deo intimum, imò idem, quod ipſe Deus. Quin de homine ad eumdem modum uſurpatur in Targum Ruthæ, cap. III, verſu 8. Eſt autem paraphraſis illa uberior, ſive potiùs liberior, quàm Onkeloſij vel Ionathanis. Quoniam mentionem facit continentiæ Ioſephi noſtri, locum apponemus. *Bohaz videns mulierem ad pedes ſuos dormientem, libidinem ſuam compeſcuit, ut ad eam non*

non acceſſerit, Joſephi juſti imitatione, qui rem cum Aegyptia,
heri ſui uxore habere renuit, imitatione etiam Paltielis, pii filii 1 Sam. 25,
Laiſchi, qui poſuit gladium בין מימריה ובין מיכל *inter ver-* 44.
bum ſuum, id eſt, ſemetipſum vel ſuum corpus, *& inter* 2 Sam 3,
Michalam Saulis filiam, Davidis uxorem, quòd ei commiſceri 15.
nollet. Sicut igitur hoc loco *verbum hominis* eſt aliquid
hominis, ut corpus ejus, vel ipſe homo; ita quoque *ver-*
bum Dei pari ratione & loquutione eſt aliquid Deo inti-
mum, ſive ipſe Deus. Qui de Deo loquendi modus in
Targumim frequenter occurrit. Sic Gen. IX, 21, *Dixit*
Dominus in corde ſuo, Onkelos & Ionathan, *in verbo ſuo*. Le-
vit. XXVI, 11, *Non faſtidiet vos anima mea*, & mox v. 30,
Faſtidiet vos anima mea, Onkelos & Ionathan utrobique,
verbum meum. Ieſ. 1, 14. *Solennitates veſtras odit anima mea*,
Targum, *verbum meum.* Ad eumdem modum Ierem. LI,
14, Hamos VI, 8, *Iuravit Dominus per animam ſuam*, Tar-
gum, *per verbum ſuum*. Iezech. XXIII, 18, *Receſſit anima*
mea ab eâ, quemadmodum receſſerat anima mea à ſorore ejus,
Targum utrobique, *verbum meum.* Ierem. 1, 8, *Tecum ego*,
Targum, *verbum meum.* Frequenter etiam יהוה reddi-
tur מימר דיי Hæc loquutio quum ad eum modum, ut
ex hiſce Targumim conſtat, à Iudæis frequentaretur, nec
tamen intelligeretur, venit tamdem Iohannes Evange-
liſta, qui adverſus Ebionem ejusque adſeclas, Iudæos
ſcilicet, & propterea phraſeos ſatis gnaros ſcribens, per-
ſpicuè adſeruit & declaravit, Verbum illud, quod ita Deo
intimum, ut apud Deum ſemper fuerit, & Deus ſit, incar-
natum eſſe; atque adeo in divinitate Patrem & Filium
eſſe; & hunc ipſum Filium incarnatum, Meſſiam eſſe. De
hoc ipſo etiam Verbo epiſtola Hebræis loquutioni iſti
adſuetis ſcripta: *Vivum eſt verbum Dei & efficax, & pene-* cap. 4, 12.

trantius quovis gladio ancipiti; & pertingit uſque ad diviſionem animæ ſimul ac ſpirituum, compagumq; & medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptus cordis: nec eſt ulla res creata non manifeſta in conſpectu ejus: imò omnia ſunt nuda & intimè patentia oculis ejus. Videmus autem priſcos Iudæos, quales paraphraſtæ ſunt, promiſſiones propheticas non de ſolis bonis temporalibus, quemadmodum à recentioribus fit, ſed de alijs longè eminentioribus intellexiſſe. Et ſanè ſtulti ſunt hodierni Iudæi, qui ſine ope Meſſiæ bonis temporalibus, ut victoriâ de hoſtibus ſuis & magnifico conviviorum & epularum apparatu ſe potiri non poſſe firmiter credunt, & interim perſuaſum habent abſque ejus beneficio ad cœleſtia & æterna ſeſe perventuros. Aeternam enim vitam & cœleſtem beatitudinem Meſſiæ ſuo acceptam non ferunt. Sed de his alibi accuratiùs. Lubet tamen adhuc è doctiſſimi viri Pauli Fagij in Chaldaicam Pentateuchi paraphraſin commentario, qui vix alioquin in manus ſtudioſorum hodie incidit, de nobili illâ phraſi מימר דיי nonnulla ſubijcere. Sic igitur ille ad caput quinctum Deuteronomij, verſum quartum & hæc verba Moſis: Ego stabam inter Verbum Domini et inter vos, in tempore illo. *Habet hoc peculiare Chaldaiſmus, ut plurimam mentionem faciat Verbi Domini, maximè in his locis ubi Deus inducitur loqui cum homine, quæ res pulcrè facit ad myſterium Chriſti, qui eſt verbum Patris: & confirmat fidem noſtram, qua tenemus illum præſentem fuiſſe patribus.* — *Cui ſententiæ adſtipulatur & D. Auguſtinus, qui ſuper primum caput Joannis Evangeliſtæ ita ſcribit: Vnde innotuit Moyſi Deus? Quia revelavit ſervo ſuo Dominus. Quis Dominus? ipſe Chriſtus, qui præmiſit legem per ſervum, ut veniret ipſe cum gratia & verita-*

te,

te. Quod autem & veteres Hebræi per verbum Dei in Scripturis Meſſiam intelligunt, liquidè videre eſt ex verbis R. Iſaac Aramæi qui in commentarÿs ſuis ſuper librum Numeri, quibus titulus eſt, Sacrificium Iſaac, ſic ſcribit. Subjungit ipſa auctoris Hebræa verba, & mox addit verſionem: nos hîc ſolâ verſione contenti erimus. *Mittit Verbum ſuum, & ſanabit eos, & eripiet eos de plagis eorum. Dixit R. Samuel Levita, Verbum Dei eſt nuncius ſive orator ejus. De quo ſcriptum eſt, Profectò tale eſt verbum meum, qualis eſt ignis, dixit Deus. Et hoc eſt quod dictum eſt, Veniet verbum tuum, & honorificabimus te. Utique cùm veniet verbum Dei, quod eſt nuncius ejus, tunc honorabimus eum. Dixit Rabi Saul: Nonne venerunt prophetæ & occidimus illos, fudimusq; ſanguinem eorum, quomodo ergo nunc accipiemus verbum ejus, aut quamobrem credemus ei? Reſpondit ei Rabi Samuel, Quoniam ſanabit eos & liberabit eos à plagis eorum: propter hæc inquam ſigna credemus ei, & honori eum habebimus. Dixit tunc illi, quare precor non dixit, Mittet verbum ſuum, & ſanabit vos, ſed dixit, & ſanabit illos? Reſpondit: hoc ideo eſt, ut ego ſentio, quoniam loquebatur de parte, deq; aliquibus duntaxat, non etiam de omnibus: quod ſignatur ſcilicet ſecundum proprietatem Hebræi ſermonis, in dictione* ILLOS. *Dixit illi, Verum certè dicis. Nam verbum ejus venit ſanare omnes in univerſum, non tantùm aliquos, & in parte. Verùm non fuit receptum, niſi ab aliquibus particularibus, qui cenſebantur inter omnes craſſioris ingenÿ, viri piſcatores, exercentesq; ſe in mari. Et hoc eſt quod dictum eſt, Conſcendentes in mare navibus, facientes opera in aquis magnis, ipſi viderunt opus Dei. Illi profectò, qui (ſi rectè conſideres) non videbantur apti poſſe admittere quicquam intellectivum, ſive quod ad intellectum pertinet, ob ruditatem ſenſus eorum, illi inquam acceperunt veritatem prophetiæ & viſionis,*

onis, quoniam crediderunt verbo ejus. Et hoc eſt quod dictum eſt, Credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Hactenus ille. Qui ſanè Iudæus, quantum ex his verbis datur colligere, agnovit Meſſiam veniſſe, & à primoribus rejectum, ab hominibus autem plebeijs & piſcatoribus, quales Apoſtoli erant, receptum fuiſſe. Sequitur apud Fagium: *Probatur præterea & hoc ex paraphraſi Chaldaica Rabi Ionathæ in Pſal. 110. Vbi enim veritas Hebraica habet, Dixit dominus domino meo, ſede ad dexteram meam, ibi Ionathas habet,* אמר יי למימריה תב לימיני *Id eſt, Dixit Dominus verbo ſuo, ſede ad dexteram meam.*

VERS. 19. *Gad accinctus præliabitur ante eum; ipſe accingetur retrorſum.* Ita Vulgatus, cum quo convenit Onkelos, qui reddidit, *De domo Gad caſtra armata erunt, quando tranſibunt Iordanem ante fratres ſuos ad bellum; & cum multâ ſubſtantiâ revertentur in terram ſuam.* Satis hæc conſentiunt hiſtoriæ, quæ memoratur Numer. XXXII: nempe Gaditas unà cum Rubenitis acceptâ poſſeſſione ſuâ cis Iordanem, atque ibi relictâ cum pecudibus imbelli turbâ, armatos Iordanem tranſmiſiſſe, & junctos reliquis tribubus pugnaſſe, donec debellatâ Cananæâ in poſſeſſionem ſuam reverterentur. Cæterùm verbis Hebræis, in quibus eſt perpetua paranomaſia & adluſio ad nomen Gad, non ſatis quadrant. Et ſunt recentiorum variæ verſiones. Rectiſſimè in hunc modum verti videtur: *Gad, turma turmatim invadet eum*, poſitum videlicet in limite vicini Ammonitæ frequentibus incurſionibus vexabunt: *ſed ipſe turmatim invadet tandem* & coërcebit prædones iſtos.

VERS. 20. *Ex Aſer pinguis* erit *panis* ſive cibus *ejus: & ipſe præbebit delicias regis*, id eſt regias, regibus dignas, exqui-

quiſitas. Terra Aſer optimi frumenti & fructuum, qui regias menſas deceant, ferax erit.

VERS. 21. *Naphthali cerva dimiſſa* à venatoribus ſcilicet, non occiſa, ſed domum ducta & enutrita, qualis in delicijs eſſe ſolet. Quo ſenſu *cerva amorum*, id eſt, dilectiſſima, *& caprea gratioſa*, Proverb. v, 19. Dilectus item comparatur *hinnulo cervorum*, Cant. II, 9; IIX, 14. PROFERENS ELOQVIA PVLCRITVDINIS, pulcra, elegantia. Naphthali dabit operam eloquentiæ, & artibus pacis: & propterea gratioſus erit.

Sequuntur minimi natu, Ioſeph & Benjamin, Rahelis filij. VERS. 22. *Filius creſcens Joſeph*, ſive potiùs *Ramus creſcens Joſeph*, nam voces בן בת בנות varie accipiuntur, & ad res quoque inanimatas transferuntur, ut ad ramos & propagines arborum. Quæ acceptio hoc loco commodiſſima: quia enim בן pro פארה *ramo* ponitur, ideo adjectivo fæminino conjungitur. RAMVS CRESCENS IVXTA FONTEM: FILIAE ſive rami ex eo prognati INCEDVNT SVPER MVRVM. Eſt Ioſeph quaſi arbor, ab unâ parte fontem aut rivum, ab alterâ murum habens. Ea videlicet à fonte irrigata latè ſe diffundit, & ramos ſuos ſupra & ultra murum extendit: ita quoque Ioſeph duas ex ſe tribus populoſas & in varios ramos diffuſas emittit.

VERS. 23. *Exacerbarunt quidem eum, & jaculati ſunt, & odio proſequuti ſunt eum ſagittarij.* Plerique de ipſo Ioſepho, & adverſitatibus, quas pertulit, accipiunt. Sed malo tamquam propheticum de rebus futuris, Ioſephique poſteris & regno Ephraim ſive Samariæ interpretari. Multis illud adverſitatibus exercebitur, à multis hoſtibus impugnabitur.

Vers. 24. *Tamen permanſit in robore arcus ejus*, fortiter reſiſtet hoſtibus ſuis, *& roborata ſunt brachia manuum ejus*, (pro quo Vulgatus vertit, *diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius*, ויפזו accipiens, tamquam ſi eſſet ויפצו) non quidem ex ſuamet ipſius virtute & potentiâ, ſed *à manibus robuſti Jacob*. אביר יעקב epitheton Dei eſt, quod habetur etiam Pſal. cxxxii, 2 & 5; Ieſ. xlix, 26; lx, 16. אביר Iſraël, eſt Ieſ. i, 24. *unde, qui paſcit*, regit, protegit, ſuſtentat *lapidem Iſraëlis*, baſin & fundamentum regni Ephraim ſive Iſraëlitici. *A Deo* inquam, *patris tui, qui adjuvabit te, & ab omnipotente* id ipſum eſt, quod roborata ſunt brachia manuum ejus.

Vers. 26. *Benedictiones patris tui*, mei videlicet ipſius, quas nunc tibi impertio, *prævaluerunt*, prævalebunt, efficaciores erunt (præteritum pro futuro uſurpare ſolent prophetæ) *benedictionibus progenitorum meorum*, quas mihi impertiverunt, id eſt, effectum in te evidentiùs & citiùs ſortientur. Iam in eo eſt, ut excreſcas in populum & multitudinem ingentem: quæ res hactenus dilata fuit, & mihi non obtigit. *Uſque ad terminum collium ſeculi erunt ſuper caput Joſephi, & ſuper verticem Naziræi fratrum ſuorum*. In benedictione, quam Moſes tribubus dedit, poſtrema verba iterum occurrunt, Deut. xxxiii, 16. Dicitur autem Ioſeph Naziræus, tum propter integritatem & innocentiam vitæ, Naziræo dignam; tum propter principatum, quem obtinuit. תַּאֲוַת & terminum ſignificat, & deſiderium. *Extremitatem* vertit Munſterus; *finem* Tremellius; *terminum* Arias Montanus. Benedictiones iſtas ſuper poſteros Ioſephi durare uſque ad terminum collium ſeculi, ſive uſque ad finem mundi, ve-

di, verum non eſt: nec ſcio an per hyperbolen, quæ hîc nimia fuerit, exponi poſſit. Vulgatus & Pagninus *deſiderium* verterunt. Quo ſenſu Onkelos quoque & Ionathan, *benedictiones, quas expetiverunt ſibi magnates ſeculi*, nec conſequuti ſunt, nempe *Iſmael & Heſau*, ut addit Ionathan. Quoniam prior expoſitio, *uſque ad finem collium ſeculi*, ſubſiſtere vix poteſt; malim reddere, *uſque ad deſiderium collium ſeculi.* Quod tamen ſatis difficile explicatu. Conſideretur, an queat eſſe ſenſus, Benedictiones cœli ſurſum & abyſſi deorſum, quæ paullò ante memorabantur, uſque ad deſiderium ipſorum montium & collium, ita ut expetere vel capere majorem ubertatem hi non poſſint, explebuntur.

VERS. 27. *Benjamin ut lupus rapiet, manè comedet prædam, & veſperi dividet ſpolium.* Hæc de virtute militari dicta ſunt. Ex tribu Benjamin ortus eſt primus regum Saul, cujus multæ & illuſtres victoriæ. Omnes tres Chaldæi de templo & altari, (quippe Ieruſalem in tribu Benjamin,) & ſacerdotibus reſidua ſacrificiorum inter ſe partientibus, exponunt. Cæterum hi Levitæ erant, non Benjaminitæ. Satius itaque fuerit ſenſui proprio & ſimplici de fortitudine & ſucceſſu in prælijs, & prædâ bello partâ, inhærere.

VERS. 33. *Et Iacob collegit,* retraxit *pedes ſuos in lectum, & obijt.* Compoſuit ſe iterum ad modum ægri & morituri: nam, quum prophetaret, ut alacri fuiſſe ſpiritu certum eſt, ita erectum in lecto ſediſſe veroſimile eſt, & hæc verba ſuadent.

CAPUT L.

VERS. 2. *Aromatibus condiverunt medici ipſum Iſraël.*

Erat id neceſſarium, quandoquidem cadaver ex Aegypto in Cananæam, haut modico itinere, & per regiones calidas, tranſportari oportebat. Aliàs *Aegyptiis mos eſt cadavera adſervare medicata*, ut loquitur Plinius. *Mortuos Aegyptij condiunt*, ait Tullius, *& domi ſervant.* Et Plato Phœdone: *Corpus areſfactum & conditum, quemadmodum in Aegypto condiunt, diu incorruptum permanet.* Argumento eſſe poſſunt, quæ etiam hodie ad nos Aegypto adferuntur corporum conditura, & in officinis Mumiæ appellantur. Modum condiendi deſcribunt Herodotus *medio libro ſecundo*, & Diodorus Siculus *libro primo, num. 91.* Ritum, aut aliquid certè ejus, Iſraëlitas ex Aegypto Palæſtinæ intuliſſe apparet, quandoquidem in ipsâ quoque Domini ſepulturâ ſervatus fuit. Cultiores profectò gentes, ut exanima hominum corpora honeſtè tractarentur & reconderentur, operam dederunt. Nonnullæ econtrà humanitatis, quam naturæ lex imperat, oblitæ fuiſſe videntur. Scytharum videlicet alij ut Maſſagetæ, Derbices, Eſſedones, defunctorum corpora epulis immixta manducarunt; alij ab arboribus ſuſpenderunt. Illud etiam Indos nonnullos, nempe Padæos gentemque Calaciæ factitaſſe teſtis eſt Herodotus: iſtud Colchis tribuit Stobæus, Naſamonum in Africâ genti Silius Italicus. Aethiopum nonnulli Lotophagi & Ichthyophagi mortuos in pelagus præcipitês dederunt. Perſæ canibus, feris & volucribus laniandos objecerunt. *In Hyrcaniâ plebs publicos alit canes; optimates, domeſticos. nobile autem genus canum illud ſcimus eſſe, ſed pro ſuâ quisq; facultate parat, à quibus lanietur: eamq; optimam illi cenſent eſſe ſepulturam.* Ita ſub finem primi Tuſcu-

l. 11 hiſt. nat. c. 37.

1 Tuſcul.

Tuſculanarum Tullius. Græcos & Romanos cadavera cremaſſe notum eſt. Quin & Gallos & Germanos, ſiquidem de illis Cæſari, de his Cornelio Tacito credimus. Sic illi abolendis corporibus operam dediſſe videntur, quod ſine dubio non feciſſent, ſi doctrinam & promiſſionem de eis divinitus aliquando redintegrandis cognitam habuiſſent. Chriſtianiſmo igitur invaleſcente mos iſte penitus eſt ſublatus. De Saulis tamen filiorumque ejus corporibus narratur 1 Sam. XXXI, 12, quòd *Iabeſitæ de muro Bethſan ea abſtulerint, & in Iabes combuſſerint.* Nempe quum jam carnes & inteſtina putruiſſent, fortè etiam vermibus ſcaterent, putrida iſta & verminoſa igne abſumſerunt, *oſſa* verò, uti ſubijcitur, *acceperunt & ſepelierunt in nemore Iabes.* Erat quoque mos Græci & Romani, tus, nardum, myrrham, caſiam, amomum, & id genus alia in rogum conijcere. Hinc apud Virgilium de funere Miſeni: *congeſta cremantur Turea dona*: & apud Statium Papinium in epicedio Pileti Vrſi:

—odoriferos exhauſit flamma Sabæos,
Et Cilicum meſſes: Phariaq; excmta volucri
Cinnama, & Aſſyrio manantes gramine ſuccos.

Plinius Hiſtoriæ naturalis libro duodecimo, capite XIIX agens de Arabiâ, *Beatam*, inquit, *illam fecit hominum etiam in morte luxuria: quæ Diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum aſſeverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps noviſſimo Poppææ ſuæ die concremaverit. Æſtimentur poſteà toto orbe ſingulis annis tot funera, acervatimq; congeſta honori cadaverum, quæ Diis per ſingulas micas dantur.* Hic mos adolendi ſuper

cadaveribus aromata ad Iſraëlitas quoque tranſiit. Funeratio Aſæ in hunc modum deſcribitur II Chronic. xv, 14: *Poſuerunt eum in lecticâ, quam repleverant aromatibus & variis aromatum ſpeciebus opere pigmentario confectis, & combuſſerunt ei (* propter *eum*, Munſterus; *buſtum ei fecerunt*, Tigurini*) combuſtione magnâ admodum.* Vulgatus: *combuſſerunt ſuper eum ambitione nimiâ.* Iehoramo autem *non fecerunt combuſtionem, ſecundum combuſtionem patrum ejus*, II Chron. xxi, 19. At Sedechiæ promittit Dominus Ierem. xxxiv, 5: *Secundum combuſtiones patrum tuorum, regum priorum qui fuerunt ante te, ſic comburent tibi*, ſive, ſic adolebunt in exequijs tuis aromata captivi Iudæi, & te tamquam regem ſuum juſtis funebribus proſequentur. Vt hoc quoque addamus, quum moreretur Rabban Gamaliel ſenex, filius Simeonis, nepos Hillelis, ad cujus
Act. 22, 3. pedes Sanctus Paulus Ieroſolymis in Iudaiſmo enutritus creditur, ſuper eo Onkelos proſelytus ſeptuaginta libras thuris combuſſiſſe perhibetur. Quod ipſum in libro Iuchaſin legitur. Cæterùm hæc obiter & in tranſcurſu.

Vers. 3. *Et completi ſunt ei quadraginta dies, quia ita compleri ſolent dies eorum, qui aromatibus condiuntur.* Non admodum diſcrepat Diodorus, qui dies plures quàm triginta ταριχεύσει ſcribit impendi. AEtate Herodoti ſeptuaginta fuerunt: quot luctui tributos annotavit Moſes. *Et fleverunt eum AEgyptij*, in honorem ſine dubio & gratiam Ioſephi, LXX *diebus*. Aharonem fleverunt Iſraelitæ XXX diebus, Num. xx, 29; Moſen totidem, Deut. xxxiv, 8. Fortaſſis igitur XL dies ἐνταφιασμοῦ connumerantur XXX diebus fletus, ut junctim conſtituant LXX.

Vers.

VERS. 4. *Alloquutus eſt Joſeph familiam Pharaonis, dicendo, Si inveni gratiam in oculis veſtris, loquimini quæſo apud Pharaonem.* Num igitur, quia ipſe non adit & alloquitur, gratiâ, ut in aulis fieri amat, exciderat? At non excidiſſe, inde apparet, quòd in honorem filij patrem defunctum ſolenniter fleverant AEgyptij, & funus paullo poſt deduxerunt *omnes ſervi Pharaonis, ſeniores familiæ ejus & ſeniores terræ AEgypti*, v. 7. Malo itaque dicere, quemadmodum in aulâ Perſicâ *non erat ingrediendum in portam regis cum indumento cilicij*, Eſth. IV, 2; ita in aula AEgyptiacâ non licuiſſe ad regem ingredi cum veſte lugubri: & hac de cauſsâ internuncijs uſum fuiſſe Joſephum.

VERS. 20. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Ita Vulgatus. In Hebræo eſt loquutio eadem, quæ ſuprà cap. XXX, 2. Nec dubitari poteſt quin verti debeat, *Num loco Dei ego ſum?* q. d. Quod factum eſt, Dei conſilio factum eſt. Num ego, quaſi alius quidam Deus eſſem, ei me opponam, & in veſtram perniciem convertam, quod ille in ſalutem ordinavit?

VERS. 25. *Deportetis oſſa mea hinc.* Vos injungite filijs veſtris, & illi viciſſim injungant ſuis, ut tempore reditus in Cananæam oſſa mea ſecum absportent. Hebr. XI, 21: *Per fidem*, quâ certus fuit de divinis promiſſis, *Joſephus obiens de egreſſione filiorum Iſraëlis meminit, & de oſſibus ſuis præcepit.* Intelligebat, poſt obitum ſuum non eam fore ſuorum apud Aegyptios gratiam vel auctoritatem, ut funus, quemadmodum ipſe patris ſui fecerat, extra regnum deducere poſſent: rem igitur uſque ad ſolennem & univerſalem egreſſum jubet differri.

Quòd

Quòd deſiderio ejus ſatisfactum, narratur Ioſ. xxiv, 32. Stephanus dicit Act. vii, 15: *Obyt Iacob & patres noſtri, & tranſlati ſunt Sichemam.* Poſſit haberi enallage numeri, tranſlati ſunt, id eſt, aliquis eorum, Ioſeph videlicet, tranſlatus eſt. Simplex ſenſus verborum Stephani retineri poterit, ſi dixerimus ad exemplum Ioſephi cæterorum quoque ſingulorum patriarcharum oſſa à ſuis nepotibus deportata fuiſſe, etiamſi id non memoret Scriptura. Hieronymus certè, oculatus teſtis, apud Sichemam xii *patriarcharum ſepulcra* exſtitiſſe ſcribit. Ioſepho, qui poſt obitum à filijs & nepotibus Hebronem tranſlatos, ibique ſepultos dicit, fides haberi nequit.

Epit. Paulæ cap. 6. 2 Antiq. cap. 4.

Vers. 26. *Mortuus eſt Ioſeph natus* cx *annos*, anno videlicet mundi ci ɔ ci ɔ ccc ix. Et tot annorum hiſtoriam complectitur primus Moſis liber.

FINIS.

Z 1173-2

99 961261

91

1123.2

Digitized by Google